



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

Tractatus II. De Locia Judicativa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)



TRACTATUS II. DE LOGICA JUDICATIVA.

Altera mentis operatio, quæ perceptionem simplicem, sive apprehensionem consequitur, est *Judicium*, quod definitur: *Actus mentis unum de alio affirmans, vel negans.* Operationem hanc dirigit Logica judicativa, quæ nihil aliud est, quàm ipsæ regulæ *Propositionum, Oppositionum, Conversionum* &c. Has proinde cum subjunctis explicationibus in præsentī tractatu dabimus. Ut autem in materia copiosissima, quæ hic pertractanda est, suus cuilibet locus assignetur, & ordinatè procedatur, in disputationes tres totum hunc tractatum dispartimur. *Prima* erit quasi præambula, illaque potissimùm complectetur, quæ propositionis extrema concernunt. *Secunda* de ipsa propositione, ejus divisione, oppositione, & conversione ager. *Tertia* denique ipsius judicii, ut est tertia mentis operatio, essentiam exponet, cum variis adhuc quæstionibus, quæ hoc in tractatu agitari solent.

Cc

DIS-

DISPUTATIO I.

De Signo, Voce, Nomine, &
Verbo, de Termino Dialectico, ejusque
Affectationibus.

ARTICULUS I.

De Signi Natura, Divisione, & Vi
significativa.

447. **N**Ota. Loqui ad alterum nihil aliud est, juxta D. Thomam, *quàm mentis intimum conceptum alteri manifestare*; Cùm autem hoc in præsentis vitæ statu non nisi per signa quædam sensibilia fieri possit, quandoquidem anima nostra corpori sociata dependenter à sensibus operatur, hinc voces tanquam signa præcipua conceptuum manifestativa adhibemus. Hinc priusquàm de vocibus agamus, signi in genere naturam, divisionem, ejusque vim significativam indagare oportet.

448. *Dico I.* Signum in genere dicitur illud, quod potentiam cognoscitivam ducit in cognitionem alterius. Per $\tau\omicron$ *Potentiam cognoscitivam*: non intellectiva modò potentia, sed etiam sensitiva intelligitur, sive interna hæc fit, sive externa. Per hæc verba: *Ducit in cognitionem alterius*, indicatur, quòd signum duplicem dicat habitudinem: alteram ad potentiam cognoscitivam, ad rem significatam alteram. Ex hoc porrò sequitur, quòd signum sit nomen relativum; adeoque non sine improprietate aliquid dicatur

suū signum; cum nullum proprium relativum
 sit ad se, sed ad aliud. Adverte prætereà, quòd
 signum deducere in cognitionem alterius pos-
 sit vel *formaliter*, vel *objective*. *Formaliter* in
 cognitionem alterius illud ducit, quod tanquam
 forma denominans potentiam cognoscentem,
 ipsam in cognitionem alterius ducit *immediate*,
 i. e. quin ipsum signum *ut quod* cognoscatur: sic
 in cognitionem alterius ducunt *cognitiones*, *visio-
 nes* &c. *Objective* hoc præstat illud signum,
 quod prius cognitum ducit in cognitionem al-
 terius. Per *ad Alterius* significatur, quòd res
 significata debeat esse distincta à signo; etli non
 requiratur distinctio realis adæquata, ut in plu-
 ribus signis patet. Hoc ipsum ad signi naturam
 requirere videtur S. Aug. qui *lib. 2. de Doct.
 Christ.* signum ita definit: *Est id, quod præter
 speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud fa-
 cit in cognitionem venire.* Et *lib. de Ordine* ita ait:
*Signum est id, quod se ipsum sensui, & aliquid
 aliud animo repræsentat:* quæ definitiones bonæ
 quidem sunt, sed non universales; quandoqui-
 dem signis materialibus tantum, & sensu ex-
 terno perceptibilibus conveniant.

449. *Dico 2.* Signum aliud est formale, aliud
 instrumentale. *Formale* illud dicitur, quod
 informando potentiam ducit in cognitionem al-
 terius, quin prius cognoscatur *ut quod*. Talia
 signa sunt cognitiones. *Instrumentale* est, quod
 prius cognitum in cognitionem alterius ducit.
 Sic *fumus* ducit in cognitionem ignis; *Hedera*
 in cognitionem vini venalis. Prætereà dividi-

tur in sensibile, & insensibile. *Sensibile* est, quod sensu percipitur. *Insensibile* est, quod sui speciem sensibus immediatè non ingerit. Porro aliud naturale dicitur, aliud ad placitum, sive arbitrarium, vel artificiale. *Naturale* est, quod ex natura sua cum re significata connexionem habet; ut *fumus cum igne, gemitus cum dolore* &c. *Signum ad placitum vocatur*, quod ex agentis intellectualis institutione expeditam, & completam significandi vim habet. Sic *Oliva denotat pacem, Iris diluvium non amplius futurum, Redimitus tempora lauro victorem.* &c. Signa ad placitum possunt esse vel practica, vel speculativa, sive theoreta. *Practica* sunt, quæ rem significatam simul causant, sic *sacramenta novæ legis* causant gratiam sanctificantem, quam significant. *Speculativa* sunt, quæ non causant id, quod significant; ut *humanae voces.* Denique signum aliud est *Rememorativum*, quod ducit in cognitionem præteritorum; v. g. *Sacrificium Missæ* respectu passionis Dominicæ præteritæ. Aliud *Demonstrativum*, quod indicat rem præsentem; v. g. *Hedera* respectu vini venalis. Aliud *Prognosticum*, quod rem futuram significat. Sic *Manè rubens cælum venturos denotat imbres*; Econtrà *Nocte rubens cælum* erat *indicat esse serenum.*

450. Dico 3. Vis significativa signi in actu primo proximo, si *physicè* spectetur, est ipsa signi entitas habens connexionem cum re significata, quæ connexio si naturalis sit, erit vis significativa signi naturalis; si verò sit arbitra-

ria, five ex agentis intellectualis institutione oriatur, erit vis significativa signi ad placitum. v. g. Vis significativa *fumi*, est ipse fumus habens connexionem cum igne, ita, ut *Fumus* sit fundamentum, *Connexio* sit ratio fundandi, *Ignis* terminus. In signo autem ad placitum, v. g. in *Voce*, vis significativa est ipsa vox affecta volitione institutorum, sic, ut *Vox* sit fundamentum, *Volitio institutorum* ratio fundandi, & *Res significata* terminus. Si autem *metaphysicè* sumatur, tunc est habitudo aliqua resultans. Rationes horum desume ex *Disp. 5. Art. 5. de Relatione §. 2.* ac præcipuè ex n. 419. ubi diximus relationem physicè consistere in fundamento proximo connotante terminum.

451. *Obj.* Qui cognoscit signum, non semper cognoscit simul instituentis volitionem; ergo hæc non requiritur ad rationem signi ad placitum. *R. D. ant.* Qui cognoscit signum signatè, & secundum omnia tam inquam extrinseca constitutiva non cognoscit simul institutoris volitionem. *N.* Qui cognoscit signum exercitè tantum. *Subdist.* Non cognoscit volitionem exercitè, & implicitè. *N.* signatè & explicitè. *C.* *Si ais.* Etiam belluæ cognoscunt signa, & tamen non cognoscunt connexionem, five naturalis illa sit, five moralis ex agentis intellectualis instituto dependens; ergo. *R. D. ant.* cognoscunt signa ut signa, & formaliter talia *N.* cognoscunt signa, quæ signa, & materialiter talia. *C.* Nimirum bruta cognoscunt unum post alterum, non autem unum ex alio. *Si re-*

ponas. Canis intentato sibi minaciter baculo fugit; ergo cognoscit baculum ut signum verberum. *R. N. Conf.* Quod ostensione baculi certo modo factâ canis fugiat, hoc inde est; quod sæpius lautè, ac generosè baculo fuerit exceptus, hinc excitatis speciebus baculi, excitantur quoque species verberum, movéntque phantasiam, & appetitum ad fugam baculi, utpote rei tergori suo inimicæ. *Si postules*: quodnam sit objectum instituentis vocem ut signum ad significandum? *R.* Objectum ejus est vis significativa in actu secundo, sive actualis significatio. *Si ais*. Significatio in actu primo est prius volita, quàm significatio in actu secundo; illa enim est hâc prior; ergo. *R. N. ant. Probat. D.* Est prior ordine executionis *C.* ordine intentionis. *N.* Finis, qui hîc est actus secundus, prius intenditur, quàm medium, quod hîc est actus primus; medium tamen in executione præcedit finem intentum.

452. *Reflexio I.* Affectiones signi sunt sequentes, nempe *certitudo*, *incertitudo*, *veritas*, *falsitas*, *probabilitas*. *Certum*, aut infallibile illud signum dicitur, quod ob infallibilem connexionem saltem naturalem cum significato nunquam fallit; tale est *respiratio* significans vitam animalis. *Incertain*, & *fallibile* illud dicitur, quod sæpius, vel æquè sæpè fallit, ac non fallit. Talia enumerat Martialis canendo:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus:

Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Ve.

Verum nuncupatur, quando res ita se habet, ut signum illam significat. *Falsum*, quando res non ita se habet, ut significatur. *Probabile* dicimus illud, quod raro fallit. Tale est *rubens sub noctem caelum*, respectu secururæ serenitatis.

II. *Forma* signi ad placitum (de hoc enim potissimum hic agitur) est ordo moralis, quem habet ad rem significatam. Dixi *moralis*, quia ex libera electione, institutione, & acceptatione hominum significat. *Causa* hujus signi *efficiens* dicitur voluntas, electionem liberam, ac institutionem ponens. *Causa materialis* est ipsa res significans, & connexa cum re significata. *Causa finalis* est conservatio societatis, commercii-que humani. III. Ut signum ad placitum significativum sit in actu primo proximo, volitio institutoris sequentes habere debet condiciones: nempe ut sit sufficienter *declarata*, hominesque hanc institutoris voluntatem passim sciant; ut sit *acceptata* per consensum populi; ut voluntas & acceptatio *moraliter perseverent*, & non retractentur per volitionem contrariam, aut alio modo eisdem derogetur. IV. In unum signum plures ex his divisionibus coincidere possunt; sic sacramenta novæ legis sunt signa speculativa, rememorativa passionis, practica, & demonstrativa gratiæ, & insuper prognostica gloriæ.

ARTICULUS II.

De Vocibus, earumque significatione.

453. **N**ota. Quod voces humanæ inter signa, quæis mentis nostræ conceptus

fu-
rbe-
cer-
quod
exce-
itan-
han-
pote
nam
n ad
igni-
ifica-
prius
; illa
robat.
e in-
ecun-
quod
xecu-
it se-
veri-
falli-
allibi-
signi-
gnifi-
illud
lit, ac
endo:
umite
es.
Ve.



ptus aliis manifestamus, principem obtineant locum, nemo facile in dubium vocabit. Hinc *S. Damasc. lib. 1. de Fide. Voces Intelligentie angelos*, i. e. conceptuum internuntias, appellat. Plotinus eas dicit *animi interpretes*. Aristoteles *lib. περὶ τῆς ἐρμηνείας*, sive *de Interpretatione*, illas *affectuum animi notas* interpretatur. Præterea verbum aliud *internum* esse docet, quod est animi conceptus; *externum* aliud, quod est vox. Agitur autem hinc minimè de voce in genere, sive prout sonum qualemcunque significat, quam Aristoteles *lib. 1. de Anima cap. 8.* sic definit: *Est sonus ex ore animalis prodiens, & per appulsionem aëris è pulmonibus in fauces incurrentis, & allisi formatus.* De hac acceptio-
 ne vocis intelligendum videtur illud Isaaci dictum *Gen. cap. 27. v. 22. Vox quidem vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Nec loquimur hinc de voce inarticulata, quæ eodem modo definitur, additis solùm his particulis: *nullam habens syllabarum literarumque distinctionem.* Sed præsens articulus est de voce humana articulata, h. e. per syllabas, & literas, quasi per articulos distinctâ, quæ sic definienda est: *Est sonus literis, & syllabis distinctus, ab homine ad exprimendas animi cogitationes prolatus.* Dicitur 1. *Literis & syllabis distinctus.* Per quæ verba differt à gemitu, suspiriis, risu &c. Item à confusis animalium vocibus, v. g. ab *hinntu equorum*, à *crunitu porcorum*, à *balatu ovium* &c. Dicitur 2. *Ad exprimendas animi cogitationes prolatus*; ut distinguatur à vocibus *psitacorum, picarum,*

carum, furnorum, qui voces articulatas quidem proferunt, sed non ad manifestandas cogitationes. Item ab iis vocibus, quæ voces *hominis* uon autem *humane* appellantur, ut sunt voces non humano modo prolatae, v. g. voces dormientium. De vocibus articulatis & humanis hinc quæritur 1. Qualia signa sint? 2. Quid significant, an res, an conceptus?

454. *Dico* 1. Voces articulatae, & humane sunt signa ad placitum. Est contra Heraclytum, Cratylum, & paucos alios, qui docuerunt voces ita significatis suis similia esse, tantamque cum re signata habere affinitatem, ut signa naturalia dici debeant. *Ratio est* 1. Quia voces non significant idem nationibus omnibus, id quod tamen signa naturalia præstant, ut *gemitus*, qui apud omnes dolorem exprimunt. Patet hoc in variis vocibus: Sic *Lego* significat Græcis dicere, Latinis mittere, vel colligere, *Hispanis* Laicum. Sic *Canis* significat Græcis canistrum, Latinis animal latrabile. Adde, quod sæpius eadem vox apud easdem gentes diversa significet, ut *Canis*, qui jam animal latrabile, jam stellam, jam animal marinum denotat. Subinde etiam diversæ voces idem omnino significant, ut *Templum*, & *Ecclesia* &c. *Ratio est* 2. Quia nulla vox est, quæ non aliud significaret, ac nunc significat, si primi institutores voluissent, ut ex diversitate linguarum de novo ortarum satis liquet. Adverte hinc, nos minimè negare, quòd voces habeant aliquid à natura, quatenus nimirum natura pro-

ponere homini debuit signa, & quidem ejus naturæ accommodata, ut homo, *animal sociale*, animi sui sensa patefacere, in necessitatibus consulere, & commercii causâ consilia petere, disciplinas & accipere, & reddere posset. Prætereà nullatenus inficiamur voces articulatas, quatenus præcisè soni sunt certo modo inflexi, signa naturalia esse; ex voce enim sic accepta varios animi motus colligere naturaliter potes; v. g. *Iram, mansuetudinem, audaciam, timiditatem, dolorem, tristitiam* &c.

455. *Obj.* Voces quædam naturalem habent aptitudinem ad certum aliquid specialiter significandum. Sic *Balatus* significat vocem ovium, *Mugitus* vocem bovis &c. ergo saltem aliquæ voces naturaliter significant. *R. D. ant.* Habent aptitudinem naturalem, ita tamen, ut potuerint ad aliam significationem traduci C. ita ut non potuerint traduci ad significationem aliam. N. Placuit nimirum hominibus vocibus ejusmodi paucissimis, per Onomatopejam formatis uti, propter aliquam, quam cum sono significato habent, similitudinem, & connexionem analogicam; non verò propter connexionem, verè physicam, qualem habet fumus cum igne. *Si inferas.* Ergo frustra laudatur Protoparentis nostri sapientia, quòd cunctis animantibus nomina proportionata imposuerit. *R.* In sacris bibliis Adamum proptereà laudatum fuisse non reperio. Deinde sapientia potius exercetur in impositione nominum derivatorum, & compositorum, quàm primitivorum; illis enim latens

re.

rerum nominatarum natura explicatur, ut si *Vulpi* nomen ab astutia imponas, *Leoni* à fortitudine &c. Si reponas. Admisso hoc, quòd voces sint signa ad placitum, dabitur processus in infinitum; nam hoc ipsum placitum ostendi aliis debet per voces alias; vel ergo istæ aliæ voces etiam sunt signa ad placitum, & sic rursus hoc placitum per voces indicandum est, & sic itur in infinitum, vel certè deveniemus tandem ad voces naturaliter omninò significantes. R. N. assertum. Necesse non est, ut primus quidam linguæ institutor placitum suum aliis semper, & aliis vocibus ostendat, sed per nutus, & gestus conceptus suos manifestare potest, sic tangendo lapidem, & proferendo τὸ *Lapis*, indicare aliis potest, hoc esse rei illius nomen; quo pacto juvenus plerumque patriam linguam addiscit. Ad hæc teste S. Augustino *lib. 8. de Genes. ad lit.* Deus primis hominibus voces quasdam primigenias indidit, quæ ex libera Dei institutione, & hominum acceptatione significarent, quarum ope alias, & alias subinde invenerunt.

456. Dico 2. Voces sunt signa tum conceptuum, tum rerum. *Partem primam* asserit Aristoteles *cap. 1. de Interpr.* ubi vocem *Passionum* (i. e. conceptuum) *animæ signum*, & *notam* appellat. Item D. Aug. qui *lib. 15. de Trinit. cap. 11.* ita habet: *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet.* Accedit ratio, quæ hæc est: Quòd cogitationes nostræ per se non pateant; cùm igitur eas communicare alteri volumus, quibuscum vivere, & in bono

rationis communicare cupimus, id fieri per alia signa debet, & præcipuè per voces; de quibus S. Aug. *Lib. 2. de ordine cap. 12.* ait: Rationem invexisse sermonem, ut, quoniam homines animos suos sentire non poterant, ad eos sibi copulandos, sensu quasi interprete uterentur. Adde, quòd, nisi voces conceptus significant, nullum sit mendacium; mentiri enim, est contra mentem ire. *Altera pars* ex eodem Aristotele colligitur, qui *lib. de Interpret.* docet, quòd Oratio vera vel falsa sit, ex eo, quod res sit, vel non sit; ergo oratio significat rem. Idem evincit ratio: Nam ut primùm vox loquentis auditur, audiens ad rem percipiendam excitatur, ut ipsa experientia comprobatur. Adhæc *Gen. 2.* legitur, adducta fuisse animalia ad Adamum, ut ipsis nomina imponeret; ergo voces res ipsas significant.

457. *Dico 3.* Voces ut præcisè signa sunt, *ordinariè significant immediatè, primariò, & per se* res ipsas; *mediatè verò secundariò, & per accidens* significant mentis conceptus. *Ratio inæ partis est*, quia auditâ præcisè voce rem ipsam cogitamus, & plerumque ad loquentis mentem non advertimus. Sic audiens vocem *Homo*, vel *Lapis* &c. hominem ipsum, vel lapidem cogitat, non autem conceptum, quem loquens, de homine vel lapide format. Accedit, quòd vox *primariò, & per se*, significet illud, quod in propositione sive mentali, sive vocali in re-cto prædicatur, & *ut quod*; sed res, sive objectum conceptûs, non autem rei conceptus prædi-

prædicatur *ut quod*; aliàs, dum dico: *Petrus est doctus*, sensus foret: *Petrus est conceptus docti*, vel *conceptus Petri est doctus*, vel *conceptus Petri includitur in conceptu docti*, quod quàm ridiculum sit, nemo non videt; ergo voces significant primariò, & per se ipsas res. *Ratio 2dæ partis est*, quia audiens vocem loquentis tantùm mediante ratiocinio alterius conceptum cognoscit; sic enim ratiocinatur: Homines ideò loquuntur, ut conceptus similes iis, quos mente formârunt, in audientis animo generent; ergo loquens mihi v. g. de homine, hominis conceptum in mente habet. Dixi supra 1. *ut præcisè signa sunt*: Nam non nego, quòd voces, *ut symbola sunt*, sive *ut impropriè significant*, primariò, & *immediatè ipsos mentis conceptus significant*. Id ex ratione symboli colligitur, quæ in eo sita est, ut alterius loco ponatur, idèmq; præstet, quod præstaret aliud, si præsens foret; cùm igitur loquens ipsum conceptum mentis suæ audientibus immediatè præsentem sistere non possit, voces adhibet quasi sequestras, conceptuúmque suorum vicarias. Quando verò voces symbola sint, colligere poteris ex his verbis: *sentio, opinor, cogito &c.* nisi fors aliud ex circumstantiis colligere liceat. Dixi 2. *Ordinariè*, nam, quòd voces etiam *ut signa strictè talia subinde ipsos conceptus mentis immediatè significant*, constat in his propositionibus: *conceptus est operatio mentis, argumentatio est oratio unum ex alio inferens*; in quibus conceptus, & argumentatio per voces im-

media-

mediate innotescunt. Duo autem conceptus mentis hinc distinguendi sunt; primus est objectum, & res significata; alter est rei significatæ conceptus, scilicet conceptus mentis, qui primò repræsentatur.

458. *Obj.* 1. Voces significant res mediantibus conceptibus; ergo semper immediate conceptus significant. *R.* N. *ant.* vel D. mediantibus conceptibus *ut quod*, tanquam objectis prius significatis N. mediantibus *ut quo*, & mediate cognitis C. *Si ais*: Arist. *lib. 1. de Interpret.* docet, voces esse signa passionum, i. e. conceptuum, ut interpretatur D. Thomas *lib. 1. de interpretatione lect. 2.* *R.* Idem & nos docemus; quamvis negemus, quòd immediate semper significant conceptus. *Si reponas*: quòd Aristoteles paulò post dicat, voces esse primò signa passionum animi. *R.* Sunt primò signa passionum animi, si *ut* signa naturalia spectentur; secus est, si illa *ut* signa ad placitum consideres. *Si objicias* textum D. Thomæ *Lib. 1. contra gentes. cap. 35. & 1. p. q. 13. a. 4.* ubi sic ait. *Sciendum, quòd significatio nominis non immediate refertur in rem; sed mediante intellectu, sunt enim voces notæ earum, quæ sunt in anima, passionum, & ipsæ conceptiones sunt rerum similitudines.* *R.* S. Thomam *loc. cit.* loqui de vocibus *ut* sunt symbola, non verò *ut* sunt signa strictè talia. Inhæret nimirum verbis Philosophi, qui *lib. 1. de Interpret.* cap. 1. voces vocat *σύμβολα τῶν παθημάτων.* i. e. symbola conceptuum. *Si urgeas.* Philosophus paulò post voces appellat *συμμετα πρώτως,*

πρῶτος, i. e. signa animi passiones primò significantia. R. Aristotelem ibi intelligere voces, ut sunt signa naturalia; sic enim habet: *At verò & sensa animi, quorum primum verba notæ sunt, & res, quarum sensa animi, speciem gerunt, idem apud omnes valent; sed de his in libris de animo diximus; non enim ad institutum sermonem pertinent.*

459. *Reflexio I.* Quæstio hîc non procedit de particulis quibusdam, v. g. *Nisi, si, sed, Utinam, ô si, vel, et, neque, forsitan* &c. quæ probabilîus non significant rem distinctam à cogitatione intellectûs, sed certum modum tendendi, ut ex propositionibus patet, in quibus ejusmodi particulæ adhibentur. II. Aliæ voces significant res ut existentes in intellectu, & cum statu præcisionis, v. g. *universale, genus, species* &c. quæ & rem & conceptum *tanquam objectum* immediatè significant videntur; quia significant res ut existentes in intellectu, quoad denominationes, quæ secundum statum illis conveniunt. Aliæ significant res secundum esse physicum, v. g. *deambulare, dormire, Petrus* &c. Huc etiam revocantur illæ voces, quæ significant genera, vel species, v. g. *Homo, Canis, Lignum* &c. An verò vel quando ejusmodi voces significant res secundum esse physicum, & quando secundum esse intentionale, & cum statu, hoc ex sensu, & circumstantiis intelligendum est. Sic dum dico: *Lignum ardet, Homo currit: nemo inficiabitur*, has voces *Lignum, Homo* significant res secundum esse physicum. Econ-

Econtra verò in his propositionibus: *Homo est species, Animal est genus.* rò *Homo*, & rò *Animal* significant rem secundum statum præcisionis. Pro horum explicatione consule dicta n. 377. III. Sicut voces ore prolatae signa sunt ad placitum, ita quoque voces scriptae. Igitur dicta de vocibus ore prolatis, etiam vocibus scriptis cum proportione applicanda sunt. Dixi *cum proportione*: sicut enim voces signa sunt subordinata conceptibus, ita scripturae signa sunt subordinata vocibus; quod S. Aug. testatur *lib. 2. de ordine cap. 12.* inquit, *quia audiri verba absentium non poterant, ratio peperit literas.* Hinc scripturae saltem regulariter per se non significant res, nisi per voces. Dixi *regulariter*; certum enim esse videtur, scripturas dari non voces, sed res immediatè significantes, ut sunt notæ numeros exprimentes, item Hieroglyphica Ægyptiorum, aliique characteres symbolici, qui etiam ab ignorante scribentis linguam tenentur, ac propterea ab aliis aliter juxta suum ejusque idioma efferuntur.

ARTICULUS III.

De Nomine, & Verbo.

660. **N**Ota. Vocum species octo communiter assignantur: *Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Adverbium, Prepositio, Interjectio, Conjunctio.* Has inter voces *Nomen, & Verbum* primariae sunt; his enim ad exprimendos mentis nostrae conceptus potiss.

tissimùm utimur; *Nomine* apprehensiones, *Verbo* autem nominibus juncto judicia manifestamus. Reliquæ voces vel ad duas modò dictas species revocantur, ùt *Pronomen*, & *Participium*. Vel modum rei, non rem ipsam significant, ùt *Adverbia*. Vel non tam modum rei, quàm diversos mentis operationum modos indicant, ùt *Præpositio*, *Interjectio*, *Conjunctio*. De primariis vocum speciebus, utpote idearum mentis nostræ manifestativis hìc paucis agendum; ne Philosophus iis malè perceptis vel applicatis, in ipsis intellectûs operationibus hallucinetur.

461. *Dico* 1. *Nomen* lib. 1. de *Interpr. cap.* 2. ab Arist. sic definitur. *Est vox significativa secundùm placitum, sine tempore, cujus nulla pars significativa est separata.* Explico. 1mò. *Nomen* *Vox* dicitur ad excludendos conceptus. 2dò. *Significativa*, ut voces nihil significantes excipiantur, v. g. *Blictri*, ejusmodi enim voces ad propositionem scientificam inservire non possunt. 3tò. *Secundùm placitum*: Per has particulas rejicit hìc Aristoteles voces naturaliter significativas, v. g. voces ferarum, gemitus, suspiria &c. quas voces, quoniam scripto non experimuntur illiteratas appellat. 4tò. *Sine tempore*, i. e. *Nomen* præter principale significatum suum, nullam denotat primariam temporis differentiam, nec *præsens*, nec *præteritum*, nec *futurum*. 5tò. *Cujus nulla pars est separata.* Per quæ verba nomen differt ab oratione, cujus partes etiam seorsim sumptæ idem significant, quod conjunctim.

Dd

e.g.

e. g. Nominis *Homo*, nec *Ho*, nec *mo*, quæ sunt partes ejus, separatim aliquid significant; sicut partes hujus orationis: *Homo doctus*. Item in nomine hoc composito *καλλιππος*, τὸ ἵππος, in quantum est pars hujus nominis compositi nihil significat, quia separatim non significat illam rem, quam per modum unius denotat τὸ *καλλιππος*, scilicet hominem hoc nomine vocatum. Significat verò aliquid etiam separatim in hac oratione *καλὸς ἵππος*. Hoc exemplo Aristoteles simul manifestat discrimen inter nomen simplex, & compositum. Nam partes nominis simplicis separatæ non modò non significant, sed neque vim significandi habent, cum ad aliquid significandum impositæ non sint, ut partes hujus vocis *Pe-trus*. Econtra partes nominum compositorum separatæ vim significandi habent, licet, in quantum partes talis nominis sunt, vim significativam non exercent. His explicatis Aristoteles *loc. cit.* sic pergit: *Non homo verò non est nomen, nec ei nomen ullum impositum est, quo appelletur, quandoquidem nec oratio est, nec negatio. Appelletur sanè nomen infinitum, quod æquè in quavis re dicatur, tam quæ est, quàm quæ nulla est. Hæc verò Philonis, & Philoni, & cætera ejusdem generis, non nomina sed casus nominis vocentur.* Ex quibus verbis liquet, Aristotelem ad nomen requirere vocem finitam, cum termini infinitantes nihil determinatum significant; & *Rectam*, i. e. in Nominativo positam; nam casus obliqui non tam nomina, quàm aliquid nominis, ejusque inflexio, & mo-

& modificatio sunt, cùm soli non faciant cum verbo propositionem veram vel falsam. Adverbia quoque per ultimam hanc particulam excluduntur.

462. Dico 2. Verbum juxta Aristotelem *lib. 1. de Interpr. cap. 3.* est, *Quod tempus adsignificat, cujus pars nulla significat separatim, semperque est nota eorum, quæ de altero dicuntur.* Distinguitur à nomine, quòd verbum præter principalem significationem suam, quam ex instituto hominum habet, determinatam temporis differentiam significet. Per has particulas: *semperque est nota eorum, quæ de altero dicuntur*, indicatur, quod verbum semper significet aliquid esse in subjecto, vel aliquid de subjecto dici. E. g. quando dico *Socrates ambulat*, significo, quod ambulatio sit in Socrate tanquam accidens in subjecto. Dum verò dico: *Socrates est homo*, significatur hominem dici de Socrate. Aliam harum particularum explicationem vid. *in Dialect. P. Du Trieu Tract. 2. p. 1. cap. 1. a. 2. de Verbo.* Philosophus prætereà de verbo loc. cit. hæc habet: **NON VALET autem, & NON LABORAT**, non appello verba. . . . & quoniam eis nomen nullum impositum est, verba infinita appellari licet. . . . Item **VALEBIT, & VALUIT** non sunt habenda verba, sed casus verbi. His verbis excludit Philosophus imò voces infinitas, sive verba infinitanter accepta. 2dò Casus obliquos verborum, i. e. reliqua tempora, & modos verborum, præter tempus præsens modi indicativi. Nam solum præsens indicativi est

propriè verbum philosophicè dictum, cùm absque ordine ulteriori veram, vel falsam faciat propositionem; reliqua autem tempora, etsi modi indicativi, id non nisi per respectum ad tempus præsens faciunt. Sic hæc præpositio *Paulus persequatur Ecclesiam*, vera est, quia fuit aliquando verum dicere: *Paulus est persequens Ecclesiam*. Reliquorum autem modorum tempora potiùs affectus animi, certòsque modos significant. Est autem verbum aliud *substantivum*, ut verbum *sum*, quod aliis verbis substatur, & principaliter affirmationem, & nexum ordinariè facit. Aliud *adjectivum*, quod non substatur aliis, & præter affirmationem ordinariè extrema propositionis implicite complectitur, ut *Amo*, quod sic resolves: *Ego sum amans*.

ARTICULUS IV.

De Terminò Dialectico, ejusque Affectionibus.

DE nomine secundùm se spectato hucusque actum est. Nunc de illo, prout in ordine ad propositionem judicii manifestivam consideratur, agemus. Quoniam verò plurima, quæ huc spectant, ab initio Logicæ fusiùs ex Dialectica explicari solent, hinc ea, quæ faciliora de nominis, in ordine ad propositionem spectati, essentia ac divisione occurrunt, breviter pertractabo, ut amplior de affectionibus ejus, quæ altioris indaginis sunt, agendi locus relinquatur sit itaque.

§. I.

Quid sit Terminus, & quotuplex?

463. Dico I. Nomen in ordine ad propositionem consideratum Philosophus *lib. i. Priorum* cap. 1. definit, his verbis: *Terminum vero id appello, in quod dissolvitur propositio: nempe id, quod de alio dicitur, idque de quo illud dicitur, seu adjiciatur, seu tollatur illud esse, vel non esse.* Ex hac definitione Dialectici ansam sumpserunt, nomen, omneque illud, in quod ultimato propositio resolvitur, *Terminum* appellandi, non quidem *physicum*, ut sunt v. g. fluvii, montes, regnorum amplitudinem defini-entes; sed *Dialecticum*, eoquod sit *Extremum propositionis*, quæ Logicæ seu Dialecticæ potissimum considerationis est. Sensus Aristotelicæ definitionis est iste: Per *id in quod resolvitur propositio*, indicatur quod terminus sit pars propositionis; quia termini factâ dissolutione, i. e. sublatâ copulâ propositionis, remanent. Per illa verba: *quod de alio dicitur, idque de quo illud dicitur*, insinuat Philosophus, quod illa tantummodo pro terminis propriè talibus agnoscat, quæ per se subjectum, aut prædicatum propositionis esse possunt, ut pulchrè explicat Casilius *lib. i. cap. 1. n. 46. & 47.* Denique Aristoteles subjungit: *seu adjiciatur, seu tollatur, illud esse, vel non esse*, ut indicet subjectum, & prædicatum per copulam *est* conjungi posse in propositione affirmativa, seu disjungi per *non esse* in propositione negativa. Quibus hæc definitio Aristotelica prolixior est, minusque

exacta, dicere poterunt cum Pennafiel *Disp. 1. Summul. Sect. 2. Subsect. 2. Terminus est pars ut quod constitutiva propositionis.* Dicitur *constitutiva ut quod*; ne definitionem termini copulae applices, quae propositionem tantum *ut quo constituit*, cum sit nexus uniens praedicatum & subjectum tanquam extrema componentia propositionem *ut quod*. Poteris etiam cum Arriaga, & aliis terminum sic definire: *Est id quod est extremum propositionis.* Necessse tamen non videtur, ut semper *actu* sit propositionis extremum, sed sufficit si tale sit *potentiâ*, ut ex Soto refert Casilius *loc. cit. n. 40.* *Ex his colliges*, quod copula *est*, *formaliter* sumpta, sive actu exercens munus copulae, non sit terminus; quia sic non est extremum propositionis. Poterit tamen esse terminus, si *materialiter* sumatur, ut in hac propositione: *Est est monosyllabum*, ob rationem contrariam. *Item*, quod voces etiam non significativae *materialiter*, & pro se ipsis sumptae termini esse valeant, id quod Oviedo, Spinula, Comptonus, & alii asserunt. *Item*, quod ex vocibus significativis nomina, & participia naturam nominum induentia, ex nominibus autem soli recti termini proprie tales dici possint; eoquod haec sola per se subjectum propositionis, vel praedicatum esse valeant.

464. *Dico 2.* Quemadmodum propositio alia mentalis, vocalis alia, alia scripta dicitur; ita passim terminus *primò* dividitur in *Mentalem*, qui est ipsa mentis idea, sive conceptus inter-

nus

nus repræsentans subjectum aut prædicatum. In *Vocalem*, qui ad manifestandam ideam ore profertur. In *scriptum*, qui literis exprimitur. Dividitur 2dò in *significativum*, qui ex instituentium placito aliquid à se distinctum manifestat; sic vox *Sol* præter se ipsam, luminare illud majus significat, quod præest diei. In *Non significativum*, qui non est institutus ad aliquid præter se significandum; sic vox *Blictri* non est instituta ad significandum aliquid à se distinctum. *Nec obstat*, quòd significet hominem præsentem, aut loquentem: Id enim non ex institutione sua, sed ex naturali connexionè præstat. *Nec juvat dicere*: Vocem *Blictri* significare *nihil*. Nam non significat nihil *positivè*, sicut hæc vox *Nihil*, quæ verè ad hoc significandum instituta est; sed significat *nihil*, tantùm *negativè*, i. e. nullam ex instituto habet significationem. Dividitur 3tò in *Categorematicum*, *Syncategorematicum*, & *Mixtum*, de quibus consule *Dialecticam vulgatam*. 4tò In *Complexum*, & *Incomplexum*. Hos pariter in *Dialectica vulgata* explicatos habes. 5tò In *Concretum*, de quo egimus n. 364. usque ad n. 375. & in *Abstractum*, qui solam formam significat, ut *Albedo*. 6tò In *Denominativum*, & *Denominantem*. Hos explicatos vide n. 361. usque ad n. 364. 7tò In *Connotativum*, qui significat formam quasi adjacentem. Huc etiam revocantur termini relativi, qui explicari non possunt, nisi per ordinem ad aliud ut *Pater*, *Cena* &c. & in *Absolutum*, qui significat substantivè, sive qui signi-

ficat rem ad modum per se stantis, ut *Homo*, *Angelus*, *Albedo*, *Calor*, & similia accidentia, quæ licet non significant rem simpliciter per se stantem, significant tamen ad modum per se stantis. 8^o In *Univocum*, *Æquivocum*, & *Analogum*. De his actum est fusiùs in Ante-Prædicamentis n. 353. usque ad n. 361. 9^o In *Universalem*, & *Singularem*. Horum explicationem vide n. 214. & n. 347. 10^o In *Primæ*, & *secundæ intentionis*. 11^o In *Finitum*, & *Infinium*. Hos fusiùs explanatos vide n. 376. & 377. De reliquis termini divisionibus, scilicet de *Transcendentali*, & *Non transcendentali*; de *Positivo*, *Negativo*, & *Privativo* actum est n. 378. & n. 380. De terminis verò *Comparatis*, *Pertinentibus*, *Impertinentibus*, *Oppositis* in Post-Prædicamentis diximus à n. 432. usque ad n. 442.

§. II.

Quid sit Suppositio, & quotuplex, & quæ ejus Regulae?

465. *Nota.* Terminus dialecticus respicere potest vel objectum, vel verbum, vel alium terminum, cui annectitur. Ex triplici hoc respectu multiplex oritur termini affectio, non quidem strictè talis, quæ ex rei essentia profuit; sed latè talis, quatenus affectio seu proprietas modum significat, quo termino in propositionibus urimur. In quantum est signum suppositivum objecti, i. e. in quantum non modò significat rem, sed etiam pro re objecta substituitur, unicam habet affectionem, quæ dicitur *suppositio*. Quatenus refertur ad verbum affectiones

tiones sex habet, nimirum *Statum*, *Ampliationem*, *Distractionem*, *Restrictionem*, *Alienationem*, & *Diminutionem*. Quatenus verò refertur ad terminum, unicam rursus numerat, nimirum *Appellationem*. De suppositione in præsentî §. agam, quam huc transferendam judicavi, quia, licet terminus extra propositionem significet, non tamen strictè, & determinatè supponit, nisi intra illam. Reliquas affectiones §. sequens explanabit.

466. *Dico I.* *Suppositio* in genere est *Usurpatio vocis pro aliquo*. Hæc definitio omni, & soli convenit, ut ea, quæ de suppositionis divisione statim dicentur, declarabunt. Observandum autem hîc est, significationem termini, ejusque suppositionem disconvenire in hoc: quòd significatio per institutionem vocis ad significandum fiat; suppositio autem fit termini jam significantis, sive institutionem suam jam habentis usurpatio.

467. *Dico II.* *Suppositio* alia est *materialis*, alia *formalis*. *Materialis* est, usurpatio vocis pro se ipsa, ut si dicam: *Homo est dissyllabum*. Hanc Toletus & alii rursus in extrinsecam & intrinsecam dividunt. *Materialis intrinseca* est usurpatio vocis pro se ipsa, secundum ea, quæ à natura habet; sic in allato modò exemplo usurpatur τὸ *Homo*. *Materialis extrinseca* est acceptio vocis pro se ipsa, secundum illud, quod habet ex institutione grammaticali; sic accipitur *Homo*, dum dicitur: *Homo est generis masculini*, vel *tertiæ declinationis*. *Formalis* est usurpatio

vocis pro re, ad quam significandam instituta est; ut fit in hac propositione: *Homo est animal*. Hæc, si vox usurpetur pro re, ad quam significandam primò est imposita, dicitur *Formalis propria*; ut si de ove animali pronuntiem: *Balat ovis*. Si autem vox accipiatur pro re, quam impropriè tantùm significat, & ad quam denotandam instituta primò non est, *Formalis impropria* nuncupatur; ut si Chelym resonantem ita describam: *Balat ovis, resonant Sylvæ, tubante gaballo*.

468. Dico 3. Suppositio formalis dividitur porrò in simplicem, & Personalem. *Simplex* dicitur, quando terminus sumitur pro natura, ut conceptui substat, tribuenti denominationem logicalem; sic simpliciter supponere dicitur subjectum hujus propositionis: *Animal est genus*. *Personalis* est, quando vox accipitur pro natura, ut est in individuis, seu personis; ut si dicam: *Homo ridet, Animal currit* &c. in quibus propositionibus, *Homo*, & *Animal* sumuntur pro individuo, seu persona, cum *actiones sint suppositorum*. Præter has suppositionis formalis species datur adhuc alia, quæ vocatur *Absoluta*, sive *Præcisiva*, vel *signatè Personalis*, & *exercitè simplex*, estque acceptio vocis pro natura absolutè spectata, h. e. absque respectu ad statum ipsius naturæ significatæ. Hæc suppositionis species, hodie passim admittitur, nec antiquioribus Summulistis ignota fuit, ex quibus P. Lingen in *thesi de actuali prædicat*. Petrum Hispanum adducit. Hanc fusiùs explicavimus, solutisque objectionibus illustra-

lustra-

lustravimus n. 273. usque ad n. 276. Signum suppositionis personalis communiter affertur hoc; si terminus *mobiliter* sumatur, h. e. si manente propositionis veritate signum universale, aut particulare addi, vel demi possit. Sic dum dico: *Homo vivit*, manente propositionis veritate dicere possum: *Omnis homo*, vel *aliquis homo vivit*. Si verò addi signa ejusmodi, vel demi non possint, signum est, terminum supponere simpliciter, ut *Animal* in hac propositione: *Animal est genus*. Nec enim *omne animal*, nec *aliquod animal genus est*.

469. Dico 4. Suppositio Personalis vel est singularis, vel communis. *Singularis* est acceptio termini pro significato singulari v. g. *Hic homo disputat*. *Communis* est acceptio termini pro significato communi, v. g. *Homo est animal*. Suppositio personalis communis celeberrimâ divisione rursus dispartitur in *Distributivam*, *Collectivam*, *Disjunctivam*, & *Disjunctam*. *Distributiva*, quæ etiam *copulativa* dicitur, est usurpatio vocis communis pro suis inferioribus, vel denominatis enumerandis *copulativè*, i. e. per particulam *et*, integras connectentem propositiones. Sic supponunt *distributivè* subjecta harum propositionum: *Omnis homo est animal*, *Omne album est corpus*. Sic enim resolvuntur: *Et Petrus est animal*, & *Paulus est animal* &c., quæ sunt inferiora hominis. Item sic: *Et nix est corpus*, & *lac est corpus* &c., quæ sunt denominata albi. Suppositio distributiva potest prætereà esse vel absoluta, vel accommoda. *Accom-*

commoda est, quando terminus communis sumitur pro omnibus inferioribus *copulativè* enumerandis, uno tamen vel altero excepto; sic sumitur subjectum hujus propositionis: *Omnis homo conceptus est in peccato originali.* Excipitur enim *Christus, & B. Virgo Maria.* *Absoluta* est, quando terminus distributivè supponens sine exceptione sumitur; hoc autem duplici fieri modo potest: Vel enim terminus distributivè supponens sumitur sine exceptione pro generibus singulis, aut speciebus sub tali termino contentis, non autem pro singulis individuis; & hæc dicitur *suppositio absoluta pro generibus singulorum.* Sic supponit subjectum in hac propositione: *Omne animal, fuit in arca Noë.* Vel terminus universalis non solum pro quavis specie, sed pro quolibet etiam individuo divisim sumitur; & dicitur *suppositio distributiva pro singulis generum.* Sic supponit hujus propositionis subjectum: *Omne animal sentit.*

Suppositio collectiva, vel *copulata* est usurpatio termini communis pro inferioribus suis, vel denominatis enumerandis *copulativè*, i. e. per particulam & ejusdem propositionis terminos tantum connectentem. In hac suppositione sumitur subjectum hujus prædicationis: *Omnes Apostoli sunt duodecim:* sic enim resolvitur: *Et Petrus, & Joannes &c. sunt duodecim.* Non autem sic: *Et Petrus sunt duodecim, & Jacobus sunt duodecim &c.* Signum suppositionis hujus desumitur ex prædicato, quod vel nomen collectivum est, vel numerum significat.

Sup-

Suppositio disjunctiva, sive determinata est acceptio termini communis pro suis inferioribus, seu denominatis recensendis *disjunctivè*, h. e. per particulam *Vel*, & per integras propositiones, ita, ut, si propositio vera sit, percurrendo inferiora ad unum, aut plura *quoad se* determinata perveniatur, quibus prædicatum determinatè conveniat; ut si dicas: *Aliquis homo in templo orat*: quæ propositio hunc sensum habet: *Vel Petrus in templo orat, vel Paulus in templo orat* &c. sic percurrendo homines singulos ad unum determinatè pervenies, cui prædicatum reverà conveniat. Dixi: *si propositio vera sit*; si enim sit falsa, ut hæc: *Aliquis homo est lignum*, tunc uni inferiorum prædicatum non poterit determinatè convenire, cum subjectum nulla ejusmodi inferiora habeat.

Suppositio confusa, sive *disjuncta*, aut *indeterminata* est, quando terminus communis usurpatur pro suis inferioribus, vel denominatis enumerandis *disjunctim*, h. e. per particulam *vel*, non autem per integras propositiones; ita tamen, ut percurrendo inferiora singula, aut denominata, ad nullum determinatè perveniatur, de quo determinatè verificetur prædicatum. Ita supponunt subjecta sequentium propositionum: *Aliquis oculus necessarius est ad videndum. Aliquis florenus pro censu annuo solvendus est. Aliquis liber promissus est.* Nam de nullo determinatè dici potest, *Hic est necessarius, hic est solvendus, hic est promissus*; cum tamen aliquis indeterminatè necessarius sit, aut aliquis flore-

flore-

florenus solvendus &c. *Ratio* autem hujus indeterminationis est, quia in prima propositione ex parte prædicati significatur necessitas potentiae ad actum, quæ necessitas & *potentiam*, & *absentiam* alterius cujuscunque potentiae ad eundem actum sufficientis importat; cum igitur oculus uterque ad ponendam visionem sufficiens sit, nec ullus absentiam alterius potentiae sufficientis adjunctam habeat, hinc nec in dextro, nec in sinistro determinatè oculo absoluta reperitur necessitas ad videndum. Dicitur proinde debet: *vel dexter, vel sinister oculus est necessarius ad videndum*. Hanc ipsam rationem propositionibus reliquis applicare poteris. Ex eadem ratione faciliè colliges; cur prædictæ propositiones supponant *confusè*; Hæ autem: *Aliqua fides est necessaria ad salutem. Aliquis sensus est necessarius ad videndum* &c. quæ tamen prioribus videntur similes, supponant determinatè. Traditam hætenus de suppositionibus doctrinam plurimum illustrant regulæ, quæ ad eas discernendas à Philosophis afferri solent. Eas proinde unà cum subjunctis explanationibus hinc subjungam.

Regulæ ad discernendas suppositiones accommodatæ.

Regula generalissima à Summulistis hæc passim admittitur: *Subiectum supponit juxta exigentiam prædicati*. Hanc accuratiùs & uberiùs explicant regulæ speciales non solum pro subiecto, sed etiam pro prædicato sancitæ.

Regula I. Terminus significativus supponit *materialiter*, quando pro nuda voce accipitur,

v. g.

v. g. *Papa est nomen. Princeps est vox duarum syllabarum.*

Regula II. Terminus formaliter supponens, five sit primò, five secundò intentionalis sumitur plerumque in suppositione personali, si universale signum, aut particulare ipsi præfigi possit. *Ratio est*, quia explicari per aliquem descensum potest; ut patet in his propositionibus: *Omnis homo est rationalis. Omne genus est universale.* *Addidi primò in regula tò plerumque*, quia subinde saltem ipsa denominatio logica exigit affigi signum; v. g. in his propositionibus: *Aliquis homo est individuum vagum. Omnis homo est terminus universalis distributivus.* In quibus subjecta sumuntur simpliciter, etsi signa affixa habeant; cum illa exigant hæ denominationes logicæ: *Individuum vagum, Terminus universalis distributivus.* *Addidi secundò in ratione tò Descensum.* Est autem *Descensus*, progressus ab universali ad singularia sub eo contenta, qui progressus fieri potest quatuor modis. Vel enim progredior à termino communi distributivè supponente, per particulam *Et*, non terminos modò, sed propositiones etiam connectentem, ad singularia; & dicitur *Descensus distributivus*, qualis hic est: *Omnis homo est rationalis; ergo & Petrus est rationalis, & Paulus est rationalis &c.* Vel progredior à termino communi in suppositione copulata ad terminos singulares collectim sumptos; & dicitur *Descensus copulatus aut collectivus*, qualis hic est: *Omnes Apostoli sunt duodecim; ergo hic apostolus, & iste,*

iste,

iste, & ille &c. sunt duodecim. Vel progredior à termino universali in suppositione determinata ad terminum singularem determinatum; & dicitur *Descensus disjunctivus*; ut si dicam: *Aliquis homo loquitur*; ergo vel *Paulus loquitur*, vel *Joannes loquitur*. Vel progredior à termino communi in suppositione confusa ad terminos particulares indeterminatos; & dicitur *Descensus disjunctus, aut confusus*; ut si dicam: *Alia causa ad effectum ponendum requiritur*; ergo vel *hæc*, vel *illa &c. requiritur*. Datur præterea etiam *Ascensus*, qui est progressio à particularibus sufficienter enumeratis ad universale, v. g. *Homo est substantia, Leo est substantia, Equus est substantia &c. ergo Omne animal est substantia*. Potest hic ascensus fieri quatuor modis, sicut descensus; hos proinde ex præcedentibus facile desumes.

Regulâ III. Terminus si ratione adjecti prædicati secundò intentionalis fiat, sumitur in suppositione simplici. *Ratio est*; quia in hoc casu fieri nequit descensus. Sic *Homo* in hac propositione: *Homo est species*, supponit simpliciter; cum inferre non liceat: Ergo & *hic homo est species, & ille homo est species &c.* Dixi: si ratione prædicati secundò intentionalis fiat. Nam si significationem secundò intentionalem à prædicato non accipiat, supponet *personaliter*, licet prædicatum secundò intentionale sit; ut si dicas: *Nullus homo est species. Genus est universale. Homo est cognitus.* Cum enim in propositione prima prædicatum de subiecto negetur, significa-

tionem secundò intentionalem ab eo non accipit. In secunda autem propositione subjectum jam habet significationem secundò intentionalem, independenter etiam à prædicato. Denique in tertia propositione subjectum nullam omninò significationem secundò intentionalem à prædicato participat; quia prædicatum non convenit illi, ut antecedenter jam cognito per cognitionem aliam, ex parte ipsius subjecti se jam tenentem; quod tamen requiritur ad hoc, ut subjectum significationem secundò intentionalem à prædicato accipiat; ut videre est in hac propositione: *Homo est species*, quæ hunc sensum habet: *Natura humana abstracta est species*. Si ais. In hac propositione: *Aliquod animal est species infima*, subjectum supponit simpliciter, & tamen patitur descensum disjunctivum; ergo adducta ratio regulæ nulla est. R. N. ant. Vel enim dicta propositio intelligitur de singulis individuis animalis? & sic falsa erit. Vel habet hunc sensum: *Aliqua species animalis est species infima?* Sic vera quidem erit; sed subjectum significationem secundò intentionalem à prædicato non participat; quandoquidem eam independenter à prædicato jam habet; adeoque supponet personaliter. Si reponas: Dum dico: *Omnis homo est individuum logicum*; subjectum supponit simpliciter, & tamen patitur descensum; ergo datur terminus supponens simpliciter, qui tamen patitur descensum. R. N. *inam partem Antecedentis*. Subjectum enim supponit personaliter; cum sensus propositionis sit iste: *Omne in-*

dividuum hominis est individuum logicum. Ubi subjectum sumitur personaliter ex dictis in præcedenti objectione. Ex hac ipsa responsione sequitur, hunc syllogismum bonum esse: *Omnis homo est individuum logicum; sed Petrus est homo; ergo est individuum logicum.* Cùm enim subjectum majoris supponat pro inferioribus, idemque sit, ac si diceres: *Omne individuum hominis est individuum logicum;* hinc subjectum jam habet significationem logicam, eamque non accipit modò à prædicato; adeoque supponit personaliter, patiturque descensum: mirum proinde non est, si in minori descendatur ad inferius in majori jam contentum.

Regula IV. Si subjecto communi præfigatur signum universale, & prædicatum conveniat singulis ejus inferioribus, vel saltem plerisque seorsim sumptis, tunc subjectum supponit distributivè vel absolutè, vel accommodè. Patitur tamen hæc regula sequentes exceptiones. *Prima est:* si *ò* *Omnis* idem significet, ac *Totus*, ut si de unico exercitu dicas: *Omnis exercitus pro salute patrie invictè decertavit.* *Secunda est:* Si prædicatum sit collectivum, aut numerale cardinale, conveniatque tantùm inferioribus simul sumptis; hoc enim casu subjectum *collectivè* supponet; ut si dicam: *Partes orbis sunt quatuor. Omnes cives sunt civitas.* *Tertia est:* Si subjectum signo universali affectum inferiora non habeat. In hoc enim casu, cùm *formaliter* distribui subjectum non possit, distribuetur saltem æquivalenter; ut si dicas: *Omnis Deus est omnipotens.* Aut si

uni-

unico tantum homine existente & ambulante dic-
cas: *Omnis homo ambulat.* Nam ut benè tradit
Haunoldus *Log. pract. p. 1. cap. 2. a. 2. n. 10.* τὸ
Omnis sæpiùs idem significat, ac *Quicumque*;
quæ vox subinde suppositionem *formaliter*, sub-
inde *æquivalenter* distributivam denotat; sicut
nimirum distribuitur terminus singularis.

Regula V. Quodsi subjecto communi signum
particulare præfigatur, & prædicatum uni in-
feriorum conveniat *determinatè*, subjectum sup-
ponit *disjunctivè*; Quodsi autem prædicatum
indeterminatè solum uni inferiorum conveniat;
subjectum supponet *confusè*. *Ratio 1mæ partis est*;
quia prædicatum *determinatè* conveniens uni, ad
suâ verificationem unum saltem ex pluribus re-
quirit quoad se *determinatum*, etsi non quoad
nos. Ut si dicam: *Aliquis homo currit*; ad quam
propositionem verificandam requiritur, ut ali-
quod inferius hujus subjecti *Homo*, quoad se
determinatum verificet hoc prædicatum: *currit*.
Adverte hîc, quòd *determinatè* uni conveniant
prædicata contingentia, quæ exercitium phy-
sicum significant, aut actionem, aut effectum;
si de subjecto *absolutè* prædicentur. Exercitium
enim physicum, vel actio, aut effectus non
nisi è *determinato* principio procedunt, nec
ipsum exercitium &c. *absolutè* seu actualiter pro-
cedens *indeterminatum* esse potest; cum nihil
indeterminatum actu existat. *Ratio 2dæ partis*
est; Eòquod, si prædicatum uni inferiorum in-
determinatè conveniat, non sit potior ratio pro
uno, quàm pro altero. Talia prædicata ple-

rumque sunt, quæ necessitatem, indigentiam, aut debitum significant: ut si dicam: *Aliquis equus ad equitandum necessarius est.* Si ais 1. In data modò propositione *Equus* supponit determinatè; quia equus est determinatè unum ex necessariis ad equitandum; ergo. *R. N. ant.* Rationem D. Equus est determinatè unum ex necessariis ad equitandum, si comparatur cum aliis equis, qui existere supponuntur. N. Si comparatur cum aliis requisitis, v. g. *Fræno, Epbippio &c. C.* Si ais 2. Per equum determinatè sumptum equito; ergo etiam aliquis equus determinatè sumptus necessarius est ad equitandum. *Prob. cons.* Per illum equum equito, qui est necessarius; ergo. *R. D. ant.* Qui est determinatè necessarius. N. Qui est indeterminatè necessarius. C. Si ais 3. Equus eo modo necessarius est ad equitandum, quo modo equitatio fieri potest; sed hæc fieri non potest nisi per equum determinatè sumptum; ergo. *R. N. maj.* Equitatio enim est actio, quæ non nisi à determinato instrumento, vel causa procedere potest. At verò necessitas instrumenti instrumentum determinatum denotare nequit, cum plura instrumenta ad ejusmodi actum idonea dentur. *Si inferas.* Ergo data propositio verificaretur per aliquid impossibile; quia equus indeterminatus, per quem verificaretur, est aliquid impossibile. *R. N. illatum.* Rationem D. Equus indeterminatus in determinatione *objectivâ* est aliquid impossibile. N. in determinatione *subjectivâ*. C. Equus indeterminatus in determinatione *objectivâ*, est equus

equus cognitus cognitione tendente indeterminatè; & hic possibilis est, verificatque propositionem. Equus autem indeterminatus indeterminatione subjectivâ est equus, qui non foret ens determinatum, qui utique implicat.

Regula VI. Quodsi subjecto communi nulum præfigatur signum, adeoque subjectum commune ita sibi relictum reddat propositionem indefinitam; tunc subjectum supponet *distributive*, si propositio sit in materia necessaria, aut necessariò vera. Cujus ratio est, quia propositio indefinita in materia necessaria æquivalet universali affirmativæ. Sic hæc propositio: *Homo est animal*; æquivalet huic: *Omnis homo est animal*. Idem dic de subjecto propositionis indefinitæ in materia impossibili; hæc enim æquivalet propositioni universali negativæ. Hinc propositio hæc: *Homo non est planta*, idem sonat, ac *nullus homo est planta*. Hæc regula servari quoque solet in materia *Fidei*, & *Juris*. Ut si dicam: *Iustus salvatur*, *Homicida puniatur*. Tales enim propositiones sunt *conditionatè*, & *consequentè* necessariae; supposito nimirum Dei promisso, & statuto juris; etsi extra hypothesein in materia contingenti forent. Exceptiones, quæ hic occurrere possent, annotatas habes in *Regula IV*. Quodsi verò propositio indefinita sit in materia contingenti, tunc subjectum ordinariè supponit *disjunctivè*; quia ejusmodi propositio æquivalet particulari; ut si dicam: *Equus currit*, *Homo ambulat*.

Regula VII. Prædicatum propositionis affirmativæ, siue universalis sit, siue particularis ordinariè supponit *disjunctivè*. Ratio est: quia tale prædicatum explicatur per particulam *vel*, ita, ut deveniatur tandem ad aliquid determinatum, in quo verificatur propositio. Ita Haenoldus p. 1. cap. 1. a. 5. n. 27. Quòd autem hæc ratio teneat, examinanti parebit in his propositionibus: *Omnis homo est animal. Homo est species. Petrus est dictio dissyllaba. Omnia elementa sunt quatuor. Aliquis calamus est necessarius ad scribendum.* In quibus prædicata sunt hæc: *Aliquod animal, aliqua species; Aliqua dictio dissyllaba; Aliquis numerus quaternarius, aliquod necessarium, i. e. secundum obliquum saltem, secundum quem dicit necessitatem, eamque non vagam, sed determinatam ad scribendum; non autem secundum rectum, qui est id, cujus est necessitas, quòdque non est determinatum.* Confirmatur hæc regula. Hæc propositio: *Omnis homo est animal*, convertitur sic: *Aliquod animal est homo*; in qua postrema propositione convertente, *Animal* supponit *disjunctivè*; ergo etiam in priori, siue conversâ sic supponat, necesse est: quia in convertente & conversâ termini eodem modo supponere debent; aliàs propositio de se vera, posset ostendi falsa, quod admitti certò nequit; eò quod conversio excogitata sit, ad ostendam clariùs veritatem conversæ. Patitur tamen præsens suppositionis regula exceptiones. Prima est. Si propositio sit de divinis; in his enim prædicatum propositionis affirmativæ supponere potest *distributivè*, si non *formaliter*, saltem *equi-*

æquivalenter; vel, ut alii docent, si non *realiter*, saltem *per intellectum*; ut in his propositionibus: *Deus est sua absoluta perfectio. Omnis perfectio divina est omnis perfectio divina*, quas propositiones etiam juxta principia philosophica ulterius examinandas Theologis relinquimus. *Secunda est*: Si prædicatum de nullo determinatè verificetur; ut fit in convertente, cujus conversa habebat subjectum confusè supponens. v.g. *Aliquis calamus est necessarius ad scribendum*. Hæc sic convertitur: *Ergo aliquod necessarium ad scribendum est aliquis calamus*. Ubi prædicatum supponit confusè; quia utpote subjectum conversæ confusè quoque supponebat. *Tertia est*; si prædicatum sit terminus singularis; hic enim æquivalenter distributivè supponit, cum sumatur pro omni eo, pro quo sumi potest. *Si ais*, Saltem prædicatum propositionis affirmativæ infinitantis, qualis est hæc: *Petrus est non lignum*, supponet distributivè. R. D. Supponet distributivè secundum obliquum. C. secundum rectum. N. Sensus datæ propositionis est: *Petrus est quid distinctum ab omni ligno*, ubi prædicatum sic exponitur *Petrus vel est hoc distinctum*, vel est illud distinctum &c., & ab hoc ligno, & ab illo ligno &c. In qua expositione vides, quomodo prædicatum secundum rectum disjunctivè supponat, secundum obliquum autem distributivè.

VIII. Prædicatum propositionis negativæ supponit distributivè. Idem tenendum de subjecto, cui præfigitur particula negans. *Ratio est*; quia particula negans est malignantis naturæ, excluditque distributivè omnia, quæ afficit.

§. III.

Quænam sit notio reliquarum affectionum?

470. Præter suppositionem septem adhuc terminorum affectiones n. 465. retulimus, quarum explicationem hîc breviter dabimus. *Status* est acceptio termini pro eo tempore, quod per propositionis copulam importatur. Ut si dicas: *Petrus est albus*; quæ propositio ut vera fit, necesse est, ut Petro tempore præsentis albedo conveniat. Datur autem triplex status, pro triplici temporis differentia: nimirum *præsens*, *præteritus*, *futurus*.

471. *Ampliatio* termini fit, quando ejus significatum non ad illud modò tempus refertur, quod copula importat; sed ad alia quoque tempora extenditur. Potest autem ampliari terminus ad præsens, & futurum; ut si dicas: *Vivens morietur*; h. e. qui vivit, vel vivet morietur. Item ad præsens, præteritum, & futurum; ut in hac propositione: *Iustus salvabitur*; cujus hic sensus esse potest; *Qui sunt, fuerunt, & erunt iusti, salvabuntur*. Item ad tempus possibile; ut in hac prædicatione: *Homo est animal*, quæ se non ad præsens modò, aut præteritum, aut futurum, sed ad possibile etiam extendit.

472. *Distraçtio* (quam alii cum ampliacione confundunt) est acceptio termini pro tempore alio à tempore per copulam importato. Sic accipiuntur subjecta harum propositionum: *Cæci vident, Claudi ambulant* &c.

473. *Restrictio* fit, quando terminus à majori ad minorem significationem contrahitur; quod fieri potest *primò*: Si termino casus obliquus adjiciatur. v. g. *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi*. Matth. 20. *Secundò*: si apponatur adjectivum. v. g. *Homines mites possidebunt terram*. *Tertiò*: si circumstantiam addas. v. g. si in certis circumstantiis dicas: *Philosophus ita sentit*, sic, ut ex circumstantiis colligatur, te loqui de Aristotele.

474. *Alienatio* est termini à propria sua significatione ad impropriam translatio. Ejusmodi alienatio maximè fit in tropicis locutionibus. v. g. *Pes mensæ cecidit*, *Vites lacrymantur* &c.

475. *Diminutio* fit, quando termino utor secundùm suum significatum, non quidem absolute & simpliciter; sed secundùm quid, sive secundùm partem, quod *implicitè* fieri potest vel *explicitè*. Ut si dicas: *Æthyops est albus secundùm dentes*. Scotus & alii hanc reducunt ad *Restrictionem*. Semery autem, & alii hoc inter utramque discrimen assignant: quòd *Restrictio* terminum communem ad individua restringat; *Diminutio* autem ad partes integrantes, vel accidentia.

476. *Appellatio* dicitur applicatio significati formalis unius termini ad significatum alterius. Si terminus appellans materiali significato termini appellati applicetur, dicitur *Appellatio materialis*. v. g. si de Petro magnæ quidem stature, sed modicæ doctrinæ dicas: *Petrus est magnus Philosophus*. Si verò terminus appellans

applicetur significato formali, erit *Appellatio formalis*. v. g. si de Logico quoad staturam quidem parvo, eximio autem quoad doctrinam dicas: *Est magnus Logicus*. Cæterum quâ ratione terminus appellet, hoc sæpiùs ab intentione loquentis dependet, & ut benè advertit Arriaga *Disp. 1. Sect. 9.* ex tono proferentis, aliisque circumstantiis est dignoscendum.

477. *Reflexio*. Dicta hæctenus de termini affectionibus non utilia solum, sed etiam penè necessaria sunt, ad evitanda & conversionum, & syllogismorum vitia: eorumque fraudes tutiùs ac citiùs detegendas. Etenim si intra eundem syllogismum terminus idem suam mutet proprietatem, argumentatio non modò non erit demonstratio, sed in sophisma quoque degenerabit. Hoc faciliùs colliges ex sequentibus regulis. I. est. A materiali suppositione ad formalem non valet consequentia. V. g. *Omne, quod loqueris, transit per os; sed currum, & equos loqueris; ergo currus, & equi transeunt per os.* II. A suppositione simplici ad personalem nulla est consequentia. v. g. *Animal est genus; sed Plato est animal; ergo Plato est genus.* III. Nulla est illatio, quando terminus in præmissis amplè sumptus, in conclusione *statum* habet. v. g. *Qui expergiscebatur vigilat; sed dormiens expergiscebatur; ergo dormiens vigilat.* IV. Captiosa est argumentatio, si terminus in una præmissarum distractus in conclusione *statum* habeat. v. g. *Videntes percipiunt colores; sed cæci sunt videntes; ergo cæci percipiunt colores.* V. A termino re-

stricto

stricto ad non restrictum non benè concluditur affirmativè. Hinc non sequitur: *Homo fortis pugnat; ergo omnis homo pugnat.* Nec valet argumentio à termino sumpto *impropiè* ad eundem *propiè* sumptum. v. g. *Quod ridet est animal visibile; sed prata rident; ergo prata sunt animalia visibilia.* Nec licet argumentari à termino diminuto ad non diminutum. v. g. *Æthiops est albus secundum dentes; ergo Æthiops est albus.*

VI. Vox appellans addita subjecto appellat subjectum. Ut si dicas: CAROLVS PHILIPPVS CLEMENS & IVSTVS, EX FLORENTE GREIFFENCLAVIANO sangVINE, est PRINCEPS HERBIPOLENSIS. Ubi voces appellantes: *Clemens & Iustus* appellant CAROLUM PHILIPPUM. Si verò appellans terminans prædicato addatur, prædicatum quoque appellat. Ut si dicas: *Alexander fuit magnus Bellidux.* ubi *magnus* appellat *Belliducem*, non verò *Alexandrum*: Nam *Magnus Alexander corpore parvus erat.* Ex his sequitur, quod mutata appellatione non fit consecutio legitima. v. g. *Alexander fuit magnus Bellidux; ergo Alexander fuit magnus.*



DISPUTATIO II.

De Propositionibus.

Sicut ideas, sive mentis conceptus per terminos vocales manifestamus; ita ad iudicia explicanda propositionibus utimur. Inde fit, ut iudicium, & propositio promiscuè sæpius sumantur, unumque per alterum intelligatur;

et si

etsi in rigore idem omninò non sint. Nam Judicium *propositionem mentalem* denotat, sive actum intellectûs, qui ideas geminas vel affirmando conjungit, vel negando unam ab altera removet. Per propositionem verò plerumque intelligitur propositio vocalis, sive oratio externa mentis sententiam, judiciumve internum vocibus exprimens. Exprimuntur autem ideæ per terminos, conjunctio verò per verbum, quod propterea copula dicitur. De judicio interno ageretur in sequenti disputatione; hîc de propositione vocali nobis potissimùm sermo est.

ARTICULUS I.

De Propositionis Natura, & Divisione.

478. **D**ico I. Philosophus *lib. I. Priorum. c. I.* Propositionem ita definit: *Est Oratio, quæ aliquid de aliquo affirmat, aut negat.* & *lib. de interpret. cap. 4.* ait: *Est oratio verum, vel falsum significans.* Verùm utraque definitio plerisque non satis exacta videtur; Nam prima fit per membra dividenda; altera verò per accidentia, veritas enim & falsitas propositioni accidunt. Hinc propositionem cum Oviedo accuratiùs definiunt illi, qui dicunt, quòd sit *Oratio unius de alio enuntiativa.* Oratio est genus, per quod cum orationibus aliis, etiam non enuntiativis convenit. Definitur autem Oratio ab Aristotele *lib. de interpret. cap. 4.* sic: *Est vox, quæ significat, cujus pars aliqua sejuncta separataque ut dictio, non ut affirmatio, aut negatio significat.*

ficat. Definitionis hujus explicationem uberio-
rem vide *in Dialect. Vulgata. Tract. 2. p. 1. cap.*
2. a. 1. Per hæc verba: *Unius de alio enuntia-*
tiva, ab aliis orationibus non enuntiativis, aut
non perfectè enuntiativis differt, quales sunt: *Ho-*
mo albus. Quo vadis? utinam studeres &c. In quali-
bet autem propositione considerantur à Dialec-
ticis quatuor: Nimirum *Materia, Forma, Quan-*
titas, Qualitas. Pro materia quidam assignant
terminos; pro forma autem ipsam terminorum
dispositionem adducunt. Verùm hæc explica-
tio quamvis rejicienda non sit, ad rem tamen
præsentem non facit, ut testatur Semery *Disp.*
2. cap. 4. & ex divisione propositionis mox ad-
ducendâ patebit. Igitur *Materia* propositionis
est ipsum objectum, sive subjectum objectivum,
& prædicatum pariter objectivum, prout in-
ter se habitudinem, & respectum dicunt. *For-*
ma autem huic materiæ correspondens est unio,
sive copula. *Quantitas* est extensio, sive re-
strictio subjecti, ut plura vel pauciora signifi-
cet. *Qualitas* juxta antiquiorem Dialecticorum
sententiam est *Affirmatio*, & *Negatio*; quia
quærenti, *qualis sit propositio?* aptè responde-
tur est affirmativa, vel negativa. P. Senfftle-
ben autem, aliique recentiores tradunt quali-
tatem propositionis esse *veritatem & falsitatem*;
affirmationem verò & negationem esse differen-
tias essentielles; quæ ultima sententia in ratione
magis fundata esse videtur. Verùm utrique
sententiæ satisfieri poterit, si dicatur, quòd
Affirmatio & Negatio sint qualitates essentielles;
cùm

cùm Aristoteles etiam differentias, imò genera, & species subinde qualitates appellet. *Veritas* autem, & *falsitas* sint qualitates accidentales, ùt inferiùs, ubi de veritate agetur, pluribus explicabitur.

479. *Dico 2.* *Propositio ratione materiae* dividitur in *necessariam*, *impossibilem*, & *contingentem*. Has explicatas vide in *Dialect. P. Du Trieu Tract. 1. p. 1. cap. 2. a. 4.* Prætereà adverte, non idem omninò esse propositionem esse necessariam, esse impossibilem, & propositionem esse in materia necessaria, in materia, impossibili. Nam hæc propositio: *Homo non est animal*, est quidem in materia necessaria, cùm connexio hominem inter & animal necessaria sit; & tamen propositio est impossibilis. Hæc verò propositio: *Homo non est lignum*, est quidem necessaria, sed in materia impossibili. Prætereà propositio ratione materiae alia est *Ordinata*, alia *Inordinata*, atia *Identica*, quarum explicationem pariter ex *Tract. 1. p. 1. cap. 2. a. 2.* *Dialecticæ vulgatæ* jam notam suppono. Dividitur *secundò ratione Quantitatis* in *Universalem*, cujus subjecto signum universale præfigitur. In *Particularem*, cujus subjectum particulare signum præfixum habet. In *Indefinitam*, quæ pro subjecto terminum communem habet, nullo notatum signo. Hæc in materia necessaria, & impossibili universali æquivalet; in materia autem contingente æquivalet particulari. E. g. Si dicas: *Homo est animal*, vel *Homo non est lapis*; idem est, ac si diceres: *Omnis*

nis homo est animal, vel Nullus homo est lapis. Hæc autem propositio: *Homo currit*, idem significat, ac *Aliquis homo currit.* In *singularem*, cujus subjectum terminus singularis est. v. g. *Petrus*, vel *hic homo est doctus.* Ratione *Qualitatis essentialis* alia est *Affirmativa*, quæ etiam *Prædicatio* dicitur, in qua copula principalis aliquid affirmat. Alia est *Negativa*, cujus copula principalis præfixam habet particulam negantem NON.

480. *Dico 3.* Propositio ratione formæ dividitur in *simplicem* & *compositam.* *Simplex*, sive *categoria* est, quæ uno subjecto, prædicato uno, & unicâ copulâ principali constat; ut hæc: *Paries est albus.* Addidi: *unâ copulâ principali*, quia propositioni simplici officere non videtur, quando subjectum, aut prædicatum copulâ minùs principali implicatur. Hinc hæc propositio: *Paries, qui est albus, disgregat visum*, communiter *simplex* dicitur. *Composita* est, quæ pluribus propositionibus simplicibus constat, adeoque plures copulas principales habet. *Simplex* rursus subdividitur in *Absolutam*, & *Modalem.* *Complexa* verò, sive *composita* in *copulativam*, *disjunctivam*, *conditionalem*, & *causalem*, item in *Exponibilem.* De his, cum speciales difficultates habeant, non nihil distinctiùs, & fusiùs agendum. Itaque

481. *Dico 4.* Propositio *absoluta* est, quæ prædicatum de subjecto præcisè enuntiat, nullum exprimendo modum, quo hoc eidem insit, vel non insit. v. g. *Ignis calefacit.* *Petrus non est lapis.* *Modalis* est, quæ insuper exprimit modum,

modum, quo prædicatum subiecto convenit. v. g. *Ignis necessariò calefacit.* Circa propositiones modales sequentia sunt

Observanda. I. Modus prout hìc sumitur est quadruplex, in quadruplici prædicati cum subiecto connexionione fundatus; Nimirum: *Necessè, Impossibile, Possibile, Possibile non, sive contingens.* Etsi enim modum contingentem Dialectici hìc latiùs sumant pro eo, quod non repugnat esse, ac propterea cum possibili confundant; si tamen hi duo modi strictè sumantur, diversi sunt inter se. Nam *contingens* illud prædicatum dicitur, quod licet de facto insit subiecto, posset tamen abesse: aut dum de facto abesse dicitur, posset tamen adesse. *Possibile* autem dicitur, quod prædicatur præcisè ut potens convenire, aut disconvenire subiecto, ita, ut nihil statuatur, an defacto con- aut disconveniat subiecto, an necessariò, an contingenter conveniat nec ne? Præter hos modos assignantur quatuor *temporanei*, quales sunt: *Semper, Nunquam, Aliquando, Aliquando non.* Et quatuor *locales*, quales sunt: *Ubique, Nullibi, Alicubi, Alicubi non.* Ad hos modos revocantur etiam adverbia plurima: ut si dicam: *Petrus diligenter studet.* II. Quatuor primimodi poni possunt vel *adverbialiter*, & afficiunt copulam; v. g. *Homo necessariò est animal.* Vel *nominaliter*, & sic habent rationem prædicati; v. g. *Hominem esse animal est necesse.* III. In quavis propositione modali duo continentur: Modus scilicet & dictum. *Modus est vox aliqua*
ex

ex modò enumeratis. *Dictum* vocatur illud, quod sub modo affertur. v. g. In hac propositione: *Petrum currere est possibile*. Modus est τὸ *Possibile*; *Dictum* autem est τὸ *Petrum currere*. IV. *Neceſſe*, vel *Neceſſariò* est modus universalis affirmativus. *Impossibile* est modus universalis negativus. *Possibile*, si jungatur dicto affirmativo est modus particularis affirmativus. Si autem dicto negativo jungatur, est particularis negativus, vocaturque *possibile non*, idemque sonat ac *aliquis non*. Hæc omnia sequenti metro expressere summulistæ:

Omne *Neceſſe* valet: valet *Impossibile* nullus:

Possibile quidam: quidam non *Possibile non*.

Ex his modis *Impossibile*, & *possibile non*, non ideò modi negativi dicuntur, quòd propositionem negativam reddant; sed ideò, quòd in oppositione modalium teneant locum illum, quem in oppositione simplicium occupant propositiones negativæ; ùt infra de oppositione propositionem declarabitur. V. An propositio modalis affirmativa, an negativa sit, non desumitur ex affirmatione, aut negatione *Dicti*, nec ex modo affirmativo, aut negativo; sed ex eo colligitur, quòd ipse modus affirmetur aut negetur. Hinc propositio hæc: *Hominem non currere est possibile*, licèt sit de dicto negativo, modumque negativum habeat, affirmativa tamen est. Econtrà hæc propositio: *Hominem latrare non est possibile*, est negativa. *Ratio* horum est; quia præcipuum propositionis modalis munus est, modum vel affirmare, vel negare. VI. Quantitas

titas modalium ex quantitate modi, non autem ex quantitate dicti desumenda est. v. g. Hæc propositio: *Paulum esse animal rugibile est impossibile*, etsi sit de dicto singulari, universalis tamen est. Hæc autem: *Nullum hominem currere est possibile*, particularis est, licet sit de dicto universali. *Ratio est*: Eòquod in modalibus potior ratio modi, quàm dicti habeatur.

482. Propositio *copulativa* est, quæ pluribus constat propositionibus, per particulam: *&*, *copulativè* acceptam connexis, sive hæ eodem, sive diverso prædicato explicitè, vel implicitè constent. v. g. *Et Petrus ambulat, & Paulus ambulat. Et Petrus loquitur, & Paulus scribit. Et Petrus, & Paulus dormit. Dixi: copulativè acceptam.* Nam tò *&* *copulatè*, aut *collectivè* acceptum non facit propositionem propriè compositam. v. g. *Et Asia, & Africa, & America, & Europa sunt quatuor. Disjunctiva* est, quando plures propositiones per particulam: *Vel*, *disjunctivè* sumptam connectuntur. v. g. *Vel Petrus legit, vel Paulus loquitur. Conditionalis* est, quæ pluribus constat propositionibus, per particulam *si* copulatis. v. g. *Si peccator egerit pœnitentiam, peccata illi remittentur.* Prior propositio dicitur *conditio*, sive *antecedens*; posterior *conditionatum*, sive *consequens*. Ad propositiones conditionales plures reducuntur propositionem *causalem*, quæ constat particulâ *Quia*; v. g. *Quia sol lucet, dies est.* Item *Rationalem*, quæ constat particulâ *Ergo*; v. g. *Sol est, ergo dies est.* Item *Quantitativam, Qualificativam,*

Tem-

Temporalem, & Localem; quales sunt: *Quantus est Petrus, tantus est Paulus. Qualis est Pater, talis est filius. Quando Petrus orat, Paulus ludit. Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* De propositionibus compositis adverte I. Propositio composita, ut composita est, affirmativa erit, si conjunctio grammaticalis affirmetur: erit autem negativa, si hæc negetur. *Ratio est;* quia conjunctio grammaticalis in ejusmodi propositionibus est copula principalis, potiorque habetur ratio particulæ utramque propositionem simplicem conjungentis, quàm ipsius propositionis simplicis. Hinc hæc propositio: *Et Petrus non ambulat, & Paulus non ambulat,* habetur affirmativa; negativa autem fiet, si particulam *Non* conjunctioni præponas sic: *Non & Petrus non ambulat, & Paulus non ambulat.* Pariformiter de propositione disjunctiva, conditionali &c. loquere. Dixi *ut composita est:* Nam si verbalem singularum propositionum simplicium copulam tantum respicias, prima propositio negativa erit, æquivalens huic: *Nec Petrus ambulat, nec Paulus ambulat.* Posterior autem erit affirmativa æquivalens huic: *vel Petrus, vel Paulus ambulat.* II. *Quantitas* propositionum compositarum desumitur à quantitate simplicium, ex quibus componuntur. Copulativæ tamen *quæ tales* universales dici possunt, ob particulam *&*; Disjunctivæ verò, particulares, ob particulam *vel*; Causalis autem æquivalenter universalis est: ex supposito enim quòd verum sit dicere: *Quia Petrus*

Petrus currit. Movetur, etiam verum est dicere: Omnis currens movetur.

483. Propositio *Exponibilis* est propositio *explicitè* quidem simplex, *implicitè* autem composita, quia per plures propositiones, ut clarè intelligatur, exponi debet. Propositiones, per quas alia explicatur, dicuntur *Exponentes*; quae explicatur, vocatur *Exposita*. Dantur autem tria exponibilium genera. Alia enim est *Exclusiva*, cujus subjecto, vel prædicato signum excludens præfigitur. v.g. *Tantum, solum &c.* Si ejusmodi signum afficiat subjectum ab omni alio subjecto removet: ut si dicas: *Tantum Deus est amandus super omnia*; idem est, ac si diceres: *Deus est amandus super omnia, & nihil aliud est amandum super omnia.* Si verò prædicatum afficiat; omnia alia prædicata ejusdem rationis à subjecto removet: ut si dicas: *Petrus est tantum Logicus*: Sensus est: *Petrus est Logicus, & nullius alterius scientiæ peritus.* Si autem signum exclusivum ambigüè ponatur, ita, ut nescias, an subjectum, an prædicatum afficiat? ad tollendam æquivocationem mens loquentis exploranda est, vel certè distinctio adhibenda. Talis ambiguitas est v.g. in hac propositione: *Petrus tantum est Logicus.* Alia est *Exceptiva*, in quâ per particulam exceptivam *Præter*, vel æquivalentem, aliquid in termino communi distributo inclusum excipitur. v.g. *Omnes homines præter B. V. Mariam peccarunt in Adam.* Dixi: *Aliquid in termino communi distributo inclusum.* Nam frivole excipitur, quod

in termino communi non continetur: v. g. *Omnes cives, præter canem Titii, intersunt concioni.* Adverte prætereà, quòd particula *Præter* exceptivè sumi debeat; si enim alio in sensu accipiatur, propositio exceptiva non erit; ut si dicas: *Aliquis præter Joannem est in schola:* Cujus propositionis sensus est: *Aliquis cum Joanne est in schola.* Alia denique propositio exponibilis dicitur *Reduplicativa*, estque illa, cujus subjectum particulam reduplicantem continet, quæ denotat terminum reduplicatum vel esse rationem, cur prædicatum subjecto conveniat; vel esse radicem, & causam, unde prædicatum profluit; vel esse conditionem, aut necessarium requisitum ad hoc, ut prædicatum subjecto convenienter tribuatur. Ut si dicas: *Ignis quòd calidus calefacit.* Vel: *Petrus quòd musicus delectat.* Vel: *Ignis quòd approximatus urit.* Quarum propositionum sensus est: *Ignis est calidus, & calefacit, & ratio, cur calefaciat, est calor; Petrus est musicus, & delectat.* &c. Observa, quòd reduplicativæ propositiones affirmativæ sint, aut negativæ, prout affirmata fuerit, aut negata earum reduplicatio; sive dein *Dictum* illarum, vel copula verbalis negetur, aut affirmetur. Hinc hæc propositio: *Homo ut materiã constans non est spiritus,* affirmativa habetur; ista autem negativa: *Petrus non ut Logicus cantat.* Postremò benè notandum: quòd omnis propositio exponibilis affirmativa æquivalet propositioni copulativæ; negativa verò æquivalet disjunctivæ. Hinc hæc propositio: *Solus Deus*

est æternus; sic resolvitur: *Deus est æternus, & nihil à Deo distinctum æternum est.* Hæc autem: *Non solus homo est animal; ita exponitur: Vel homo non est animal, vel etiam aliquid aliud ab homine distinctum est animal.*

ARTICULUS II.

De Veritate, & Falsitate Propositionum.

484. **V**ERITAS variè considerari potest. Alia enim est *Veritas transcendentalis*, quæ etiam *veritas rerum* nuncupatur. Hæc convenit omni enti, estque ejus cognoscibilitas. Alia est *Veritas in significando*, quæ est conformitas signi cum re significata. Alia est *Veritas in præstandis promissis*, quæ rectiùs fidelitas dicitur. Alia est *Veritas in loquendo*, quæ est conformitas loquelæ cum idea interna mentis; hæc meliùs appellatur veracitas. Alia est *Veritas intellectualis*, vel *artificialis*, quæ est conformitas actûs cum regula artis. Alia est *veritas moralis*, quæ est conformitas actûs cum prudenti dictamine, & potiùs est moralis bonitas. Alia denique est *Veritas formalis*, sive *cognitionis*, quæ est conformitas actûs intellectûs cum objecto. *Falsitas* huic opposita dicitur difformitas actûs ab objecto. Veritas hæc ultimo loco posita, & falsitas, de quibus hic quæstio est, iudicio mentali, & interno propriè Conveniunt; quia tamen propositio ad manifestandum iudicium instituta est, veritatem quoque, aut falsitatem participat. Illa est conformitas propositionis cum

cum objecto; Hæc verò est propositionis ab objecto difformitas. Quamvis autem agendum hic tantum foret de veritate, & falsitate propositionis; non tamen absque utilitate fore iudicabam, si, quæcunque de veritate & falsitate in logica dicenda veniunt, huc transferrem; ita tamen, ut plurima principalius de iudicio intelligantur. Discutiam proinde hic *primò*, quid physicè, quid metaphysicè veritas sit, quid falsitas? *Secundò*, An actui sit essentialis? *Tertiò*, an suscipiat magis, & minùs? *Quartò* an actus semel verus transire in falsum possit? *Quintò*, quæ sint regulæ ad dignoscendam veritatem in propositione relucentem?

§. I.

Quid sit Veritas, quid Falsitas?

485. *Dico*. Veritas formalis in concreto, & physicè spectata est ipse actus connotans objectum sic se habens, ut ille enuntiat. Est hæc doctrina conformis menti D. Augustini, qui *lib. de vera religione cap. 36.* ita scribit: *Cui manifestum est falsitatem esse, quâ id putatur esse, quod non est; intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id, quod est.* Idem asserit Aristoteles, qui *in post-prædicamentis*, ita habet: *Ex eo, quod res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est.* Ex his advertes, quod Veritas formalis, quæ etiam logica dicitur, sit relatio, & quidem prædicamentalis. *Relatio* est, quia omne conforme alicui conforme est. *Prædicamentalis* autem est,

quia actum denominari verum, actui cuiusque est contingens. *Fundamentum* hujus relationis est actus. *Ratio fundandi* est repræsentatio objecti, sic se habentis. *Terminus* est ipsum objectum, cui actus est conformis. *Forma relativa* est conformitas actûs cum objecto, ut est in se; in hac consistit veritas, si in abstracto, & metaphysicè spectetur. Ex his colliges, de veritate formali haud aliter differendum esse, quàm supra in *art. 5. de Prædicamentis*, locuti sumus de relatione. Quod de veritate hætenus dictum est, hoc ipsum de falsitate cum proportionem statuendum.

486. *Obj.* Terminus sæpè non existit, & tamen propositio vera est; ergo veritas non est relatio prædicamentalis; hæc enim requirit terminum actu existentem. *Prob. Ant.* Plures propositiones de præterito veræ sunt, & tamen earum terminus non existit; ergo. *R. D. Ant.* Et tamen terminus non existit realiter physicè, & pro nunc. *C.* Non existit objectivè & pro tunc. *N.* Nimirùm terminus in propositione de præterito actu existit; in propositione autem de præterito existit pro tempore præterito, pro quo propositio enuntiat. *Inst. 1.* Denominatio veri est denominatio extrinseca; ergo veritas physicè non consistit in actu. *Prob. Ant.* Denominatio veri habetur à forma extrinseca, scilicet à sic se habentia objecti; ergo. *R. N. utrumque Ant.* Nam denominatio veri non est à sic se habentia objecti; sed à conformitate actus cum objecto sic se habente. Hæc autem conformitas

tas posito aliquo extrinseco resultat, & recipitur in ipso actu. *Inst. 2.* Actus iudicii essentialiter repræsentat objectum; ergo non dicit prædicamentalem duntaxat relationem ad objectum. *R. D. Ant.* Essentialiter repræsentat objectum repræsentationis, & simpliciter. *C.* Objectum verificationis, & ut est in se. *N. Inst. 3.* Si filius non existat actu, & physicè, etiam non existit relatio paternitatis; ergo nec existit relatio veritatis, si objectum non existat actu. *R. N. Conf. Disp. est.* Quia relatio paternitatis est relatio physica & realis, qua Pater refertur ad filium à se genitum, sic autem referri non potest, nisi filius existat. Econtra relatio veritatis est relatio intentionalis, & conformitatis cum objecto, quæ haberi potest, etsi terminus, sive objectum actu physicè non existat. Nam actum esse conformem objecto, nihil aliud est, quam actum repræsentare objectum sicuti est, quod fieri nihil implicat, etsi objectum actu physicè non detur; alioquin nulla daretur veritas de præterito, vel futuro. *Inst. 4.* Dum dico: *Chimæra implicat*, actus est verus, & tamen objectum ejus nequidem objectivè existit; ergo. *R. D. Ant.* Objectum non existit, objectivè, ut aliquid reale *C.* ut aliquid per fictionem apprehensum, & repræsentatum. *N. Inst. 5.* Objectum est sæpè divinum, & corporeum, actus verus autem est humanus, & spiritualis; ergo non requiritur, ut actus verus sit conformis objecto. *R. D. Conf.* Ut sit conformis objecto physicè, & in essendo *C.* ut sit conformis intentionaliter, & in repræsentando.

tando. N. Sicut necesse non est, ut actus repræsentans *animal*, quoad suam entitatem sit animal; ita nec requiritur, ut actus repræsentans infinitum, aut divinum, sit entitativè infinitus, & divinus; quandoquidem veritas formalis non est conformitas physica, sed intentionalis, sive in repræsentando.

§. II.

An Veritas sit actui essentialis?

487. *Nota.* Quæstio hæc non est de veritate radicali, quæ est perfectio actûs, vi cujus ipse exigit esse verus, vel ratione principii indefectibilis, ut fit in actibus supernaturalibus & divinis; vel ratione objecti immutabilis, ut fit in his actibus: *Deus existit. Homo est animal rationale &c.* sed *status quæstionis est* de actibus iis, qui sunt à principio ad verum, & falsum indifferente, & præcipuè circa objectum contingens, ac mutabile; an scilicet his veritas formalis, & actualis ita intrinseca, & essentialis sit, ut propter exigentiam suam intrinsecam falsi esse non potuerint?

488. *Dico.* Veritas actui non est essentialis. *Ratio est:* Quia veritas actui secundum se sumpto adesse potest, vel abesse, salvâ ejus essentiâ. Nam hic actus: *Sultanus dormit*, ex supposito verus, potuisset elici tunc, quando *Sultanus non dormiebat*, quo casu fuisset falsus. Ergo. Hæc conclusio de veritate formali non tantum tenet in iis actibus, qui objectum contingens habent,
&

& mutabile; sed etiam in iis, ubi objectum immutabile est, & necessarium. Nam immutabilitas hæc respectu actûs præcisè se habet per accidens; quandoquidem actus nec ex ratione generica cognitionis, nec ex ratione repræsentationis exigit objectum sic se habens, sicut ipse enuntiat; alias à nullo actu veritas separabilis foret. Quod de veritate hîc conclusum est, id ipsum cum proportione falsitati facilè applicabis.

489. *Obj.* Veritas est relatio transcendentialis actûs ad objectum, quia implicat veritatem esse sine objecto; ergo veritas est actui essentialis. *R. D. Ant.* Veritas est relatio transcendentialis ad objectum repræsentationis. *C.* Ad objectum verificationis. *N.* Nimirum omnis actus iudicii debet habere aliquod objectum; quia essentialiter affirmat aliquid, vel negat; sed objectum non necessariò ita se habet, ut actus enuntiat. *Inst. 1.* Objectum verificationis est illud, quod actus affirmat, vel negat; sed actus ad ejusmodi objectum dicit relationem transcendentalem; ergo. *R. N. maj.* Nam objectum verificationis est illud, quod ita se habet, ut actus enuntiat. *Inst. 2.* Actus est essentialiter conformis objecto verificationis; ergo. *Prob. Ant.* Non est essentialiter difformis; ergo. *R. N. Conf.* Actus per essentiam suam nec est conformis, nec difformis objecto sic se habenti; sed præscindit ab utroque: sicut homo per essentiam suam nec est barbatus, nec imberbis. *Inst. 3.* Veritas physicè spectata est ipsa entitas actûs;

actûs;

actûs; ergo. *R. D. Ant.* Est entitas actûs absolute sumpta. *N.* Respectivè sumpta. *C.* Forma relativa etsi intrinseca sit subjecto, illi tamen essentialis non est. *Inst. 4.* Album est essentialiter album; ergo etiam verum est essentialiter verum. *R. D. Ant.* Album ut album. *C.* Album materialiter tale, & quod est album. *N.* Eodem modo actus verus, ut verus est essentialiter verus; sed præsens quæstio est tantum de actu vero secundum se, & qui verus est. *Inst. 5.* Quilibet actus iudicii est essentialiter affirmativus; ergo etiam essentialiter verus, vel falsus erit. *R. N. Cons. Disp. est,* quia affirmatio, vel negatio est ipsa tendentia actûs, quæ est purè ab intrinseco, & ipsi essentialis. Econtrà denominatio veritatis, vel falsitatis formalis non est ipsa tendentia actûs ab intrinseco proveniens, & manens sive objectum ita se habeat, sive non; sed est denominatio dependens ab extrinseco, sive ab objecto sic se habente; quod autem objectum ita se habeat, est actui secundum se per accidens. *Inst. 6.* Sicut affirmatio, & negatio est ipse actus; ita etiam veritas, vel falsitas est ipse actus; ergo. *R. N. τὸ sicut.* Nam affirmatio, & negatio sunt ipse actus absolute sumptus; Veritas autem, vel falsitas est actus respectivè tantum sumptus. *Inst. 7.* Iudicium æquè dividitur in verum & falsum, ac dividitur in affirmativum, & negativum; ergo. *R. N. Ant.* Nam divisio prima est divisio subjecti in accidentia, sicut dum divido hominem in album, & nigrum. Posterior autem divisio est divi-

divisio generis in species. Ex his advertes actum verum, & falsum non differre specie essentiali, sed accidentali. *Inst.* 8. Actus habentes diversa objecta differunt specie essentiali; sed actus verus, & falsus diversa habent objecta; ergo differunt specie essentiali; cum actus ab objectis specificentur. *R. D. Maj.* Habentes diversa objecta representationis, h. e. quorum unus aliquid aliud affirmat, vel negat, quam alter *C.* diversa objecta verificationis, h. e. quorum unus affirmat rem, uti est, & alter eandem rem aliter affirmat, ac est. *N.* Hi actus v. g. *Petrus est homo, Paulus est planta* differunt specie essentiali, non ideò, quia primus est verus, alter verò falsus; sed ideò quia circa diversa objecta versantur. *Inst.* 9. Omnis actus necessariò vel est verus, vel falsus; ergo. *R. D. Ant.* Extrinsicam exigentiam actus. *N.* Ob extrinsicam necessitatem contradictoriorum, vel ratione objecti, quod necessariò ita se habet, vel non ita se habet. *C. Inst.* 10. Bonitas, vel malitia est essentialis actui; ergo & veritas, vel falsitas. *R. D. Ant.* Bonitas *radicalis*, quæ desumitur ab objecto essentialiter bono, vel à principio supernaturali &c. *C.* Bonitas *formalis*, quæ est conformitas actus cum dictamine rationis. *N.* Nam idem actus jam conformis dictamini, in aliis circumstantiis potest esse difformis; igitur hæc bonitas illi essentialis non est.

§. III.

An unus actus possit esse verior, vel falsior altero?

490. *Nota.* Non quæritur: An unus actus possit verior esse *radicaliter*; certum enim est, actus Dei, & actus supernaturales fidei, ratione principii, vel etiam ratione objecti veriores esse actibus humanis, quorum principium fallibile est, vel objectum contingens. Nec quæritur: an actus verior esse possit altero, aut falsior *extensivè*; nulli enim dubium est, quòd actus dicens, viginti currunt, ex supposito, quòd 30. currant, propiùs accedat ad verum, quàm actus dicens, decem currunt. *Status proinde quæstionis est:* An veritas, vel falsitas *formaliter*, & *intensivè* suscipiat magis, & minùs? sive, an unus actus *intensivè*, & *formaliter* verior, aut falsior esse possit altero?

491. *Dico.* Nec veritas, nec falsitas suscipit magis, & minùs. *Ratio primæ partis est:* Quia veritas formalis est adæquata, & omnimoda conformitas actûs cum objecto sic se habente; nam actus ut verus sit, eodem prorsus modo repræsentare debet objectum, quo illud se habet; sed adæquata & omnimoda conformitas cum objecto sic se habente non suscipit magis, & minùs; aliàs esset adæquata conformitas, & non esset; ergo. *Ratio secundæ partis est:* Quia falsitas consistit in difformitate actûs cum objecto, ut est in se, sive in carentia omnimodæ conformitatis cum objecto, ut est in

in se; sed carentia omnimodæ conformitatis non suscipit magis, & minùs: Nam, ex supposito, quòd *decem currentibus* actus unus asserat: *novem tantùm currunt*; alter verò dicat: *quinque tantùm currunt*; uterque falsus est, non ideò præcisè, quia unus affirmat cursum novem hominum, & alter cursum hominum quinque; sed ideò, quia uterque actus numerum denarium à cursu excludit, id quod uterque æqualiter præstat; igitur tota diversitas inter ejusmodi actus materialis tantùm est, & extensiva, quatenùs prior ad plura se objecta extendit, posterior ad pauciora.

492. *Obj. 1. contra 1am partem.* Omnis qualitas suscipit magis & minùs; sed veritas est qualitas; ergo. *R. 1.* Majorem falsam esse, constat ex n. 403. *R. 2. D. maj.* Omnis qualitas physica, quæ est per gradus augibilis. *C.* Etiam qualitas metaphysica, & resultans in actu, ex sic se habentia objecti, qualis est veritas. *N.* *Inst. 1.* Unus actus potest esse melior, certior, & evidentior altero; ergo etiam verior. *R. N.* *Cons. Disp. est:* Quia *bonitas* non tantùm desumitur à conformitate cum regula morum, sed etiam dependet à circumstantiis, à fervore operantis, ab intentione &c. quæ crescere possunt. *Certitudo* autem non est necessariò omnimoda adhæsiò ad objectum, sed ob motiva, & rationes jam plures jam pauciores, jam graviores, jam minùs graves incrementum suscipit. *Evidentia* denique non est necessariò summa claritas; sed sicut objectum jam clariùs, jam minùs clarè

clarè proponi intellectui potest ; ita etiam evidentia jam clarior , jam minùs clara esse potest. *E*contra veritas est omnimoda conformitas actus cum objecto sic se habente ; quæ certè magis & minùs non suscipit , aliàs non erit omnimoda. *I*nst. 2. Potest unus actus esse perfectior altero ; ergo & verior. *R. D. Ant.* In iis , quæ admittunt incrementum C. quæ incrementum non admittunt. N. *I*nst. 3. Hi actus : *Deus est : Christus est verè realiter præsens in Eucharistia ;* sunt veriores , quàm hi : *Petrus existit : Turca à Persis victus est &c.* ergo. *R. D. Ant.* Sunt veriores *radicaliter* ratione principii , verò objecti C. *Formaliter* N. Eodem modo actus quo Deus dicit : *Petrus pervenit ad cælum.* verior est *radicaliter* , quàm actus , quo id ipsum sempronius v. g. affirmat , non autem *formaliter*. *I*nst. 4. Actus dicens : *Canis est animal latrabile.* verior est , quàm actus dicens : *Canis est animal.* ergo. *R. D. Ant.* Verior est *intensivè* & *formaliter*. N. Verior est *extensivè* , quia plures formalitates objecti exprimit. C. *I*nst. 5. Præmissæ sunt veriores , quàm conclusio ; quia hæc vera est propter præmissas ; *Propter quod autem unumquodque tale , illud magis tale ;* ergo. *R. D. Ant.* Sunt veriores *causaliter* C. *formaliter*. N. Eodem modo explicandum est allatum axioma. Alii dicunt , illud intelligendum duntaxat esse de causa finali , quia finis magis diligitur , quàm media , quæ ad finem assequendum adhibentur , & propter eum diliguntur. *I*nst. 6. Actus verus est imago , & similitudo ob-

objecti, sed una imago potest objecto esse conformior; ergo. *R. D. Maj.* Est imago, & similitudo adæquata, & omnimoda C. inadæquata, & aliqualis. N. *Inst. 7.* Falsitas, & veritas sunt contraria; sed hæc suscipiunt magis & minus; ergo. *R. D. Maj.* Sunt contraria physica, quæ fiunt per additionem gradûs ad gradum N. sunt contraria logica. C.

493. *Obj. 2. contra 2dam partem.* Unum mendacium est majus altero; ergo & unus actus falsior altero. *R. D. Ant.* Est majus altero philosophicè N. moraliter, & Theologicè ratione culpæ, vel damni, vel aliarum circumstantiarum, à quibus in moralibus etiam desumitur malitia actûs. C. Ad hæc mentiri, & falsum dicere non est omninò idem; mendacium enim est locutio contra mentem; Actus verò dicitur falsus, si enuntiet aliter, ac objectum est in se. *Inst. 1.* Una propositio falsa esse potest ex pluribus capitibus, quàm altera; ergo erit falsior. *R.* Sequitur tantùm, quod esset falsior *extensivè*, vel *radicaliter*; non autem *intensivè*, & *formaliter*. *Inst. 2.* Falsitas est inæqualitas; sed inæqualitas suscipit magis & minus; ergo & veritas. *R. 1. N. Maj.* Inæqualitas enim convenit quantitati; sed falsitas non est quantitas, sed qualitas propositionis. *R. 2.* Etiam minor falsa est; licet enim inæqualitas *extensivè* magis & minus suscipiat, non tamen *intensivè*. Ut dictum est n. 400.

§. IV.

An actus de vero in falsum transire possit?

494. *Nota.* Verbum, sive copula in propositione essentialiter significat tempus. Ex hoc confectaneum est, quod mutatis temporis differentiis, mutetur quoque ipse actus, specie saltem inadæquatâ. Est autem in hac thesi duplex tempus distinguendum: Aliud dicitur *Tempus subjecti*, estque illud, quo propositio profertur. Aliud *Tempus objecti* appellatur, estque illud, quod verbum propositionis repræsentat tanquam objectum. Repræsentatur prætereà tempus duplici modo; nempe *determinatè*, vel *indeterminatè*. *Determinatè* repræsentatur, quando copula unum, aut plura instantia determinata significat. v. g. *Petrus instanti A. vigilat*, vel *Petrus Instanti A. & B. vigilat*. *Indeterminatè* repræsentatur, quando copula nullum certum instans denotat. v. g. *Petrus aliquo instanti legit*. His positus *status questionis est*. An actus in materia contingente, qualis est v. g. hic: *Petrus studet*, semel verus, in falsum mutari possit, & vicissim?

495. *Dico.* Actus semel verus nequit transire in falsum. Ita Oviedo, Arriaga, Suarez, Lusit. *Ratio est* 1. Quia actus iudicii continuari per plura instantia non potest; Cùm enim actus iudicii, ut infra tradetur, in indivisibili annutu, vel abnutu consistat, instantaneus est. *Si dicas*, admittendum hoc esse, ut quæstioni sit locus. *Respondeo*, tanti quæstionem hanc facien-

faciendam non esse, ut in ejus gratiam falsum suppositum admittatur. Verum permissio etiam falso hoc supposito, cum authoribus supra citatis aliisque recentioribus bene multis assero, actum semel verum in falsum transire non posse, idque hoc argumento evinco: Sit hæc propositio: *Petrus scribit*. Vel ergo sensus hujus propositionis est iste: *Petrus aliquo tempore scribit*, & tunc semel vera, semper erit vera, modo unico instanti scribat, quodcumque illud sit; sicut hæc propositio: *Aliquod animal est in foro*, semper vera est, modo unicum animal sit in foro, quodcumque illud sit. Vel sensus præfatae propositionis est. *Petrus per duo instantia collectivè sumpta scribit*; & sic semper erit falsa, modo unico instanti non scribat, quia propositio non enuntiat, ut objectum est in se. Vel sensus dictæ propositionis est hic: *Petrus nunc scribit*, & sic præsens instans significat, adeoque pro secundo instanti non erit propositio eadem; quia non amplius habet idem objectum repræsentationis. Vel si contendas esse propositionem eandem, tunc certè in secundo etiam instanti pro primo significabit; adeoque si pro primo fuerit vera, manebit vera, sive pro secundo instanti Petrus scribat, sive non. Accedit Authoritas D. Augustini, qui in *Psal.* 108. inquit: *veritas immortalis est, veritas incommutabilis*. Et S. Anselmus in *Monologio* c. 17. hæc habet: *cogitet, qui potest, quando incepit, aut quando non fuit hoc verum, scilicet; quia futurum erat aliquid, aut quando desinet, & non erit hoc verum, scilicet, quia præteritum erit aliquid.* Gg 2 496.

496. *Obj.* Veritas, & falsitas est actui accidentalis, ergo potest ab eo abesse tum veritas, tum falsitas. *R. D. Conf.* Potest ab eo abesse veritas absolutè, & antecedenter. C. Potest abesse consequenter, & ex hypothesi, quòd ei semel veritas inest. N. Nimirum veritas consequenter est accidens inseparabile, sicut esse visum, esse cognitum. *Inst. 1.* Aristoteles, & D. Thomas sunt contrarii huic sententiæ. *R.* Loquuntur de propositione vocali, vel scripta, non autem de mentali, de quâ hic agitur. Si verò contendas, eos de propositione mentali fuisse locutos; tunc (verba sunt P. Jacobi Channeville) veritati non consentiunt. Si postules disparitatem, cur propositio vocalis, aut scripta de vera in falsam transire possit, non autem mentalis? laudatus modò author assignat hanc: Eòquod mentalis determinetur ad tempus, illudque adsignificet; vocalis verò, vel scripta indifferens sit ad omne tempus; adeoque hæc propositio: *Petrus scribit*, in primo instanti, Petro scribente, erit vera, in secundo autem, Petro non scribente erit falsa. *Inst. 2.* Tempus in dicta propositione: *Petrus scribit* sumitur præcisivè; ergo poterit adhuc ex vera in falsam transire. *R.* Permisso antecedente N. *Conf.* Quia ad verificationem propositionis præcisivè enuntiantis sufficit, si vel unicum individuum sub termino præcisivo contentum sic se habeat; ad ejus falsificationem autem requiritur, ut nullum sic se habeat; nam propositio præcisiva in materia contingenti æquivaleret dis-

juncti-

junctivæ. Inde sequitur, quòd hæc propositio: *Petrus scribit*, modò in aliquo instanti scribat, semper vera sit, & si in nullo instanti scribat, semper sit falsa.

497. *Reflexio I.* Objectum hujus actûs: *Petrus scribit*, non tantùm est scriptio Petri, sed etiam tempus per verbum importatum. *II.* Idem actus nequit simul verus esse & falsus, respectu ejusdem objecti. Quia aliàs objectum verificativum simul esset, & non esset, quod implicat. *III.* Nec dantur actus nec veri, nec falsi; quia objectum verificativum necessariò vel est, vel non est, & nequit nec esse, nec non esse. *IV.* Propositiones, quas insolubiles vocant, impossibiles sunt, & implicatorix, nisi in sensu accommodo accipiantur. E. G. *Fiam Philosophus, si Plato verum dixerit*; dicat deinde Plato: *Non fies Philosophus*. Hæc propositio erit implicatoria, nisi prima: *Fiam Philosophus, si Plato verum dixerit*, intelligatur cum exceptione sic: *Excepto eo, si præcipiat, ut non fiam philosophus*.

§. V.

Quenam sint Regulæ ad dignoscendam veritatem, & falsitatem propositionis?

498. *Dico.* Regula Prima generalis, & ab objecto desumpta est hæc: Ad veritatem propositionis qualiscunque requiritur, ut omnia dentur eo modo, ac tempore, ut propositio enuntiat. Ad falsitatem sufficit, si vel una pars non ita se habeat. Sic falsa est hæc: *Petrus di-*

ligenter studet, si vel sola diligentia desit. *Ratio est:*
Quia bonum ex integra causa, malum ex quo-
libet defectu.

499. *Secunda est:* Affirmativa propositio in materia necessaria semper vera est; quia identitatem prædicati cum subjecto, quæ necessario datur, affirmat. Econtrà propositio negativa in ejusmodi materia semper falsa est, ob rationem contrariam. In Materia autem impossibili propositio affirmativa semper falsa; negativa verò semper vera est; quia hæc identitatem prædicati cum subjecto negat, quæ in materia impossibili nunquam datur; illa verò eam affirmat. Denique in materia contingenti propositio affirmativa vera, aut falsa esse potest, quia identitas prædicati cum subjecto, quæ est contingens, affirmari potest, tunc quando non datur, vel quando datur, ac vicissim negari. Idem intellige de propositione negativa in materia contingenti.

500. *Tertia est:* Propositio in materia necessaria asserit realem subjecti cum prædicato identitatem, & ex conditione duntaxat subjecti existentiam. E. G. Sensus propositionis: *Homo est animal rationale*, est hic: *Quandocunque existit homo, est identificatus cum animali rationali*; Hinc propositio hæc vera foret, etsi nullus existeret homo. Idem dicendum est de propositione negativa in materia impossibili. *Si dicas:* Hæc propositio, *Deus est justus*; est in materia necessaria, & tamen affirmat existentiam subjecti; ergo hæc regula non tenet. R. D. *Conf.* Hæc regula non tenet in iis propositionibus, in
qui-

quibus subjectum est indifferens ad existendum N. in quibus subjectum indifferens ad existendum non est. C. Allegata regula de iis tantum subjectis procedit, quæ existere possunt, vel non existere. Ex his colliges, quod posita in objectione propositio non ideò subjecti existentiam affirmet, quod sit necessaria, sed quod subjectum necessariò existat.

501. *Quarta est*: Affirmativa propositio *de secundo adjacente*, ut vera sit, requirit existentiam subjecti; si autem sit negativa, requirit ejus non existentiam. *Ratio est*: Quia existentia subjecti per affirmativam expressè affirmatur, per negativam verò negatur. Quodsi autem propositio sit affirmativa *de tertio adjacente*, & in materia contingenti, plerumque requiritur existentia subjecti, & prædicati pro eodem tempore per copulam importato, & identitas eorundem inter se secundum id, quod important in recto. *Ratio est*: Quia ejusmodi propositiones præfata omnia affirmant. E. G. Hæc propositio: *Petrus est Logicus*; sic resolvenda est: *Petrus existit, & aliquis Logicus existit, & Petrus est identificatus cum aliquo Logico*. Hæc & similes propositiones vel ex unius capitis defectu falsificari possunt; vel enim non existit subjectum, & dicuntur propositiones *de subjecto non supponente*; vel non existit prædicatum, & vocantur propositiones *de prædicato non supponente*; vel denique sunt defectuosæ ex defectu identitatis prædicatum inter & subjectum, quam tamen propositio affirmativa asserit. Hæc tamen

nolim intelligas de propositione universali affirmativâ; nam hæc in materiâ contingenti non affirmat existentiam subjecti secundum omnem suam latitudinem sumpti. e. g. Hæc propositio: *Omnis Philosophus studet*; non habet hunc sensum: *Omnis Philosophus possibilis defacto existit, & studet.* Hæc enim resolutio necessariò falsa foret, cum omnes Philosophi possibiles, utpote infiniti, nunquam dari possint. Igitur sic resolventa est ultima propositio: *Existit saltem unus, aut alter Philosophus, & ille, vel hi omnes, de facto existentes, student.* Quodsi nullus existeret Philosophus, propositio foret *de subjecto non supponente*, & esset falsa, quia supponeret aliquem statum subjecti, quem illud non habet. Dixi suprâ: *plerumque requiritur existentia subjecti.* Nam aliud accidit in propositionibus de prædicato intentionali, v. g. *Abraham est cognitus.* Item in propositione de copula distracta, vel ampliata, v. g. *Cicero est oratorum Princeps.* Item in propositionibus, in quibus negativum est prædicatum, vel præteritum, vel futurum, v. g. *Domus est destructa.* *Anti-Christus est nasciturus.* *Quadvans præterit.* Patet in his non requiri subjecti existentiam saltem realem, & physicam.

502. *Quinta est:* Propositio negativa in materia contingente *de 3tio adjacente* vera esse potest ob defectum existentiae unius, aut utriusque ex rectis, vel si inter prædicatum & subjectum non sit identitas. Sic hæc propositio: *Anti-Christus non est crudelis*, vera est præcisè ideò, quia non datur existentia subjecti; cujus
ratio

ratio est, quia disjunctivè resolvenda est sic:
Vel Anti-Christus non existit, vel non existit cru-
delitas, vel Anti-Christus non est subjectum cru-
delitatis. Ut autem propositio disjunctiva vera
 sit, sufficit, si vel unicum membrum ita se ha-
 beat, ut enuntiat propositio. Adde, quòd,
 si data propositio negativa falsa esset, ejus con-
 tradictoria, quæ hæc est: *Anti-Christus est cru-*
delis, foret vera; quod tamen dici nequit, cum
 sit de subjecto non supponente.

503. *Sexta est:* Propositio copulativa, ut ve-
 ra sit, omnes propositiones simplices, ex qui-
 bus componitur, veræ sint necesse est. Hinc
 propositio hæc: *Et Petrus, & Paulus, & reli-*
qui Philosophi student, falsa est, si vel solus Pe-
 trus Philosophus non studeat. *Ratio est,* quia
 ejusmodi propositio singularum propositionum
 simplicium objecta ita se habere implicite asserit.
 Adde, quòd, si præcedens propositio vel uni-
 co Philosopho non studente vera esset; simul
 vera esse posset ejus contradictoria, quæ est
 hæc: *Vel Petrus, vel Paulus, vel alius Philoso-*
phus non studet.

504. *Septima est:* Propositio disjunctiva ut
 vera sit, sufficit, si una propositio in ea conten-
 ta sit vera. Sic vera est hæc: *Vel Petrus legit,*
vel Paulus legit, si solus Petrus legat; nec ob-
 est ejus veritati, si uterque legat, nisi particu-
 lam *vel* exclusivè accipias, ita, ut involvat *tò*
Tantum, tunc enim utroque scribente falsa erit.

505. *Octava est:* Propositio conditionalis
 affirmativa vera est, si inter conditionem, &

conditionatum detur connexio, posito, quòd hæc existant, nec requiritur actualis eorum existentia. Sic vera est hæc propositio: Matth. 11. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere penitentiam egissent.* Adverte, hanc regulam intelligendam esse de conditionalibus propriè talibus: Nam conditionales disparatæ veræ sunt, si conditionatum positâ conditione existat, licet nulla detur inter conditionem & conditionatum connexio, aut dependentia. v.g. *Si Turca dormiet, pluet.*

506. *Nona est:* Ad veritatem causalis requiritur utriusque simplicis propositionis veritas, & insuper, ut una sit causa alterius, aut inter utriusque objectum infallibilis sit connexio. Ad ejus falsitatem autem sufficit, si vel unum horum deficiat. *Ratio est:* Quia causalis affirmativa hæc omnia affirmat, estque æquivalenter copulativa.

507. *Decima est:* Ad veritatem modalis non sufficit, ut prædicatum, quod affirmatur, subjecto insit, vel ut illud, quod negatur, à subjecto absit; sed insuper necessarium est, ut eodem modo insit, aut absit, quo inesse, aut abesse affirmatur vel negatur. Hinc propositio hæc: *Petrum currere est necesse*, etiam Petro currente falsa est, quia, licet dictum verum sit, modus tamen fallit. Toletus hic benè advertit, propositionem modalem veram ita esse veram, ut falsa esse non valeat; & falsam, ita esse falsam, ut non possit esse vera: Eoquòd objectum principa-

cipale modalis sit ipse modus, qui si dicto semel conveniat, non potest ei non convenire, nec potest non repugnare illi, si semel repugnet: igitur nulla modalis, quâ talis, in materia contingenti esse valet.

508. *Undecima est.* Ad veritatem exponibilium requiritur veritas exponentium. Hoc ut meliùs intelligas, adverte. 1. Quòd propositio *Exclusiva*, si affirmativa sit quoad signum, æquivalet copulativæ; hinc juxta copulativarum regulas supra positas dirigi debent. Si verò sit negativa quoad signum, æquivalet disjunctivæ, ejusque regulas sequitur. 2. Etiam propositio *exceptiva*, quoad veritatem sequitur regulas copulativarum, disjunctivarum, sicut exclusiva; Nam eodem ferè modo, ac Exclusiva, exponitur. 3. Ut *Reduplicativa* affirmativa vera sit, necesse est, ut terminus reduplicatus subjecto conveniat, ut prædicatum etiam sine reduplicatione de subjecto verificetur; aliàs negabitur propositionis suppositum: & denique ut terminus reduplicatus aliquo modo ratio sit, cur subjecto prædicatum conveniat. *Ratio est:* Quia hæc omnia ita se habere propositio reduplicativa affirmans enuntiat, exponiturque *copulativè*. Vid. n. 483. Si autem negativa sit, exponitur *disjunctivè*. Hinc veritas vel falsitas Reduplicativæ propositionis ex regulis copulativarum, vel disjunctivarum dignoscenda est.

ARTICULUS III.

De Oppositione Propositionum.

§. I.

Quid, & quotuplex sit propositionum oppositio?

309. **D**ico 1. Propositionum oppositio à modernis summulistis passim ita describitur: *Est duarum propositionum, idem subjectum, & prædicatum habentium, diversitas, vel in qualitate, vel in quantitate, vel in utraque simul.* Ex his advertes ad oppositionem requiri, 1. Propositiones duas; cum una sibi opponi non valeat. 2. Ut habeant idem subjectum, & prædicatum; adeoque hæc extrema æquivocè sumi non debent. 3. Ut copula in utraque propositione idem significet tempus; ut res sumatur in eodem loco, tempore, in iisdem circumstantiis, cum iisdem signis, connotatis, adverbis, ampliationibus &c. 4. Ut termini in eadem suppositione sumantur. Excipe tamen hinc suppositionem distributivam, & disjunctivam; hæc enim non vitiant oppositionem, ut patet in his propositionibus: *Omnis Philosophus studet, aliquis Philosophus non studet.* Ratio est: Quia licet hæc suppositiones diversæ sint, diversos tamen terminos non faciunt; eòquod terminus particularis sub universali contineatur; adeoque in propositione particulari negatur aliquid, quod cum reliquis affirmatum fuit in propositione universali. 6. Denique oppositæ propositiones

nes

nes differre debent vel in quantitate, vel in qualitate, vel in utraque simul.

§ 10. *Dico. 2.* Oppositio propositionum est quadruplex, secundum quatuor modos diversos, quos propositiones secundum quantitatem, & qualitatem habere possunt. Aliæ enim oppositæ sunt *Contradictoriæ*, aliæ *Contrariæ*, aliæ *Subcontrariæ*, aliæ *Subalternæ*. *Contradictoriæ* sunt duæ propositiones eodem subjecto, & prædicato constantes, & repugnantes in quantitate, & qualitate. *Contrariæ* sunt propositiones duæ universales repugnantes in qualitate. *Subcontrariæ* sunt duæ propositiones particulares in qualitate pugnant. *Subalternæ* sunt duæ propositiones nonnisi in quantitate pugnant. Propositio universalis in subalternis dicitur *subalternans*; particularis verò *subalternata*. Ex his advertes subalternas esse oppositas minùs strictè tales, eò quod non involvant oppositionem affirmationis, & negationis. Atque ex hac ratione ab initio non posui definitionem Aristotelicam oppositarum, quæ sic habet: *Oppositæ sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem non æquivocè*; hæc enim tantum de oppositione strictè tali intelligenda est, & subalternas non complectitur. *Observa* prætereà datam oppositarum divisionem eas complecti propositiones, quæ pro subjecto terminum communem habent, signo universali aut particulari affectum, & in numero singulari sumuntur; eò quod scientiæ de singularibus plerumque non agentes, eas potissimum curent: & hæc vocan-

tur

tur oppositæ *de modo enuntiandi*. Cæterùm aliæ adhuc dantur oppositæ, quæ leges oppositarum servant, licet in aliis deficient. v. g. *Petrus est doctus, Petrus non est doctus. Omnes Philosophi student, non omnes Philosophi student*. Et hæ oppositæ *de lege* appellantur. Pro meliori notitia oppositarum simplicium *de modo enuntiandi* appositam tabulam sæpiùs inspicere. De reliquis oppositis postea agetur.

§. II.

Quæ sint Leges oppositarum simplicium?

511. Dico I. Leges contradictoriarum sunt sequentes. I. est. *Contradictoriæ in nulla materia possunt simul esse veræ, aut simul falsæ. Ratio petitur ex illo principio: Idem non potest simul esse, & non esse.* Ex quo aliud principium logicum æquè certum desumitur, nempe hoc: *Idem de eodem verè affirmari nequit, & negari.* Nam ad *esse* sequitur *Dici*, vel affirmari. II. est. In propositionibus contradictoriis una præcisè tantùm negare debet, quantum requiritur, & sufficit ad falsificandam alteram, non *plùs*, nec *minùs*: Aliàs ambæ possunt esse veræ, aut ambæ falsæ. Hinc propositiones contradictoriæ non sunt: *Omnis homo est doctus, Petrus, vel hic homo non est doctus.* Nec hæ: *Omnis Logicus aliquando ambulat; Aliquis Logicus aliquando non ambulat.* Nam in priori negativa *plùs* negatur, quàm requiritur ad falsificandam alteram; in posteriori verò negativa negatur *minùs*, ut examinanti patebit.

512. Obj.

ad fol. 478.



Terminus

Terminus

PROPO

A. Q.

E. Q.

Afferit. A. negat F.
asserit. I. negat C.




Categorematic



syncategorematicus

canis



at

512. Obj.

512. *Obj.* Hæ propositiones contradictoriæ sunt simul veræ. 1. *Omnis Gallus est homo; Aliquis Gallus non est homo.* 2. *Omnis Leo est animal; Aliquis Leo non est animal.* 3. *Omne animal fuit in arca Noë; Aliquod animal non fuit in Arca Noë,* scilicet asinus, quo Christus usus est. 4. *Nullus cæcus videt; Aliquis cæcus videt.* 5. *Omne, quod movitur, est animal; Aliquid, quod non movitur, est animal.* R. N. Has, & similes propositiones esse contradictorias, si supponantur simul veræ. Nam *1ma* non habent idem subjectum, quia *τὸ Gallus* sumitur æquivocè modò pro homine gallo, modò pro gallo gallinaceo. Ex eadem ratione *2da* non habent idem subjectum. In Propositionibus *3tio* loco positis mutatur suppositio, transitur enim à sensu accomodo ad absolutum. In propositionibus autem *4to* loco positis subjectum semel sumitur cum statu, & semel cum distractione, sive ampliativè. Denique ambæ propositiones *5to* loco allatæ sunt affirmativæ, quia particula *non* in secunda propositione non afficit copulam principalem. *Si ais.* Saltem propositiones: *Omne currens movetur; Aliquod currens non movetur,* ex supposito, quod nemo currat, sunt simul falsæ. R. N. Quia ejusmodi propositiones, non affirmant præcisè cursum, sed currentis motum, adeoque faciunt hunc sensum: *Omne currens, si existit, movetur,* quæ propositio vera est etiam nemine currente, cum sit in materia necessaria. *Si reponas:* Saltem hæ propositiones sunt simul falsæ: *Omnis canis*

canis

canis rationalis est animal; Aliquis canis rationalis non est animal. R. N. Has propositiones esse simul falsas: Nam propositio universalis affirmativa habet hunc sensum: *Quando existit canis, existit rationale, & existit animal, & animal est identificatum cani rationali.* Et hæc propositio falsa est, quia unum membrum falsum est, nempe *existere rationale, si existat canis*, quod ad falsificandam propositionem copulativam sufficit. Verum propositio particularis negativa sic exponenda est: *Quando existit canis, vel non existit rationale, vel non existit animal, vel animal non est identificatum cani rationali:* quæ vera est, quia saltem unum membrum verum est, scilicet: *non existere rationale, si existat canis.* Quod sufficit ad veritatem propositionis disjunctivæ. Qui plures contra hanc materiam objectiones desiderat, poterit consulere P. Haunoldum, vel *Quæst. 2. Art. 4. §. 2. Summularum Logicæ* P. Jacobi Dedelley, quæ hodie satis communes sunt, & præcipuam laudem in hac materia merentur. Ante tamen, quàm hanc materiam concludam, duo velim adhuc diligenter observes. *Primum est:* In propositionibus contradictoriis tam *quoad rectum*, quàm *quoad obliquum* attendendum esse, ut sibi debitè repugnent in quantitate. Ex hoc defectu propositiones contradictoriæ non sunt: *Omnis miles in omni legione est strenuus; Aliquis miles in omni legione non est strenuus.* Sed secunda particularis deberet sic poni: *Aliquis miles in aliqua legione non est strenuus.* *Nec dicas:* Ergo nec hæ propositiones erunt contra-

diçs.

dictoriae: *Nullius hominis aliquis canis latrat; Ali-*
cujus hominis aliquis canis latrat. R. N. *illatum.*
 Nam $\tau\theta$ *aliquis canis* in prima propositione verè
 distribuitur, quia ponitur post particulam ne-
 gativam, *nullus*; adeoque, si ex supposito aliquis
 canis latret, particularis erit verà, universalis
 falsa. Patitur tamen hæc observatio rursus ex-
 ceptionem, nimirum in propositionibus, quæ
 per copulam minùs principalem exponuntur;
 in his enim necesse non est, ut signa uni-
 versalia omnia in particularia mutantur, ut pa-
 tet in hac propositione: *Omnis homo, servans*
omnia mandata Dei, salvatur. Cui malè contra-
 diceres sic: *Aliquis homo, servans aliqua manda-*
ta Dei non salvatur; cum ambæ hæc propositio-
 nes veræ esse possint: Sed debes hoc modo
 priori contradicere: *Aliquis homo, servans omnia*
mandata Dei, non salvatur. Cujus ratio est; quia
 in prima propositione ex parte ipsius subjecti
 jam importatur copula licet minùs principalis;
 si igitur locò *servans omnia mandata*, poneretur
servans aliqua mandata, non maneret idem sub-
 jectum, & consequenter nulla foret contradi-
 ctio. *Alterum*, quod observes, est, cuilibet
 propositioni suam assignari posse contradicto-
 riam, vel *de modo emittendi*, vel *de lege.* Ra-
 tio est; quia quidquid de aliquo subjecto affir-
 matur, id ipsum præcisè negari potest de sub-
 jecto eodem: hoc autem perfectè, & maximè
 commodè fiet, si toti propositioni affirmativæ
 particulam *non* neganter sumptam præponas;
 Negativæ verò propositioni eam auferas. Sic

huic propositioni: *Omnis homo est doctus*, optimè contradices dicendo: *Non omnis homo est doctus*: major enim contradictio haberi non potest, quàm si tota affirmatio negetur.

513. Dico 2. Lex I. contrariarum est: *Contrariæ in nulla materia simul veræ esse possunt*. Ratio est; quia aliàs etiam duæ contradictoriæ essent simul veræ, adeoque idem esset, & non esset. Hæc ratio sic declaratur: Ex supposito, quòd hæc propositio: *Omnis homo desiderat felicitatem*, vera sit, etiam vera est hæc: *Petrus desiderat felicitatem*. Et si insuper vera sit hæc negativa: *Nullus homo desiderat felicitatem*; hæc quoque vera erit: *Petrus non desiderat felicitatem*. Si igitur ambæ contrariæ propositiones simul veræ sint; etiam contradictoriæ simul veræ erunt: quales sunt: *Petrus desiderat felicitatem*, *Petrus non desiderat felicitatem*. Lex II. est: *Contrariæ in materia necessaria, & impossibili nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt*. Ratio 1mæ partis ex superiori regula est desumenda. Ratio 2dæ partis est: Quia in materia necessaria prædicatum necessariò convenit subjecto; ergo propositio affirmans hanc convenientiam necessariò vera est; altera verò hanc negans falsa. Si autem propositio in materia impossibili sit, tunc prædicatum subjecto convenire nequit; adeoque negans propositio vera erit, affirmans falsa. Lex III. est. *Utraque contrariarum in materia contingenti falsa esse potest*. Ratio est: Quia, cum ambæ universales sint, una plus negat, quàm requiratur ad falsificandam

alte-

alteram. Adde, quòd prædicatum contingens uni possit convenire, alteri non.

514. *Obj.* Nequeunt ambæ contrariæ esse simul veræ; ergo nec simul falsæ. *R. N. Conf.* *Disparitatem* dedi suprâ in rationibus, quas legibus subjunxi. Adde quod plus requiratur ad veritatem, quàm ad falsitatem, cùm bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. *Si ais:* Hæ sunt propositiones contrariæ, simul veræ: *Omnis hominis alter oculus est dexter; Omnis hominis alter oculus non est dexter;* ergo. *R. N.* has esse contrarias, quia non sunt universales; Universalitas enim *ex recto* subjecti, non autem *ex obliquo* desumitur. *Si reponas.* Saltem hæ propositiones: *Omne animal est rationale; nullum animal est rationale,* sunt contrariæ in materia necessaria, & tamen ambæ sunt falsæ; ergo saltem secunda contrariorum lex non tenet. *R. N. Ant.* Licet enim aliquod animal sit necessariò rationale; id tamen dici non potest de animali genericè sumpto, cui contingens est contrahi ad rationale, vel irrationale.

515. *Dico 3.* Lex I. subcontrariarum est: *Subcontrariæ in nulla materia possunt esse simul falsæ.* *Ratio est;* si subcontrariæ, v. g. hæ: *Aliquis homo est doctus; aliquis homo non est doctus,* essent simul falsæ; ergo earum contradictoriæ: scilicet istæ: *Nullus homo est doctus; Omnis homo est doctus.* *Necessariò* forent simul veræ; sed hoc implicat, quia, ut paulò antè dictum est, contrariæ in nulla materia simul veræ esse

possunt; ergo & implicat subcontrarias esse simul falsas. Lex II. est: *Subcontrariæ in materia necessaria, & impossibili nec simul falsæ, nec simul veræ esse valent.* 1ma pars probatur ex priori ratione. 2da pars ita stabilitur: Si subcontrariæ in assignata materia forent simul veræ; ergo earum contradictoriæ essent simul falsæ; quod falsum esse inde constat, quia subcontrariarum contradictoriæ ad se invicem collatæ sunt propositiones contrariæ, de quibus suprâ probavimus, quòd in materia necessaria & impossibili simul falsæ esse non possint. Lex III. est: *Subcontrariæ in materia contingenti possunt simul esse veræ.* Ratio est; Quia prædicatum contingens respectu subjecti, uni potest convenire, alteri non potest convenire; ut si dicas: *Aliquis homo currit, aliquis homo non currit;* quæ ambæ propositiones verificari possunt per Petrum currentem, & Paulum non currentem.

516. *Obj.* Si subcontrariæ possint esse simul veræ; ergo non erunt oppositæ. *R. D. sequel.* Non erunt oppositæ in quantitate, aut veritate. C. in qualitate. N. *Si reponas:* Subcontrariæ simul veræ non habent idem subjectum; ergo non sunt oppositæ. *R. D. Ant.* Non habent idem subjectum verificationis. C. Repræsentationis, aut suppositionis. N. h. e. Dum dico: *Aliquis homo currit, aliquis homo non currit,* hæ propositiones verificantur quidem per Petrum currentem; & Paulum non currentem; utraque autem propositio supponit disjunctivè pro Petro, vel Paulo, vel alio

alio homine, adeoque habet idem subjectum suppositionis, quæ identitas subjecti ad oppositionem subcontrariarum sufficit. *Si postules:* An propositiones indefinitæ in materia contingente, v. g. *Homo est doctus, homo non est doctus*, sint contradictoriæ, an subcontrariæ? R. Sunt subcontrariæ. Nec obstat Aristoteles, qui lib. 1. de Interpret. cap. 6. propositiones ejusmodi dicit contradictorias; nam vocat illas contradictorias, non ideò, quòd sint verè tales, sed quòd appareant contradictoriæ.

517. *Dico 4.* Lex I. subalternarum est: *Subalternata, sive particularis in nulla materia falsa esse potest, si subalternans, vel universalis vera sit.* Ratio est: Quia subalternata in subalternante continetur. Lex II. est: *Si falsa est subalternata, etiam subalternans falsa erit.* Ratio est; Quia aliàs idem v. g. Petrus posset esse doctus, & non esse doctus; ut examinanti patebit. Lex III. est: *Si vera est subalternata, subalternans falsa esse potest in materia contingente; secùs est in materia necessaria.* Ratio 1^{mi} est: Quia prædicatum contingens convenire uni ex inferioribus potest, quin conveniat omnibus. Sic licèt verum sit, aliquem hominem currere, falsum tamen esse potest, omnem hominem currere. Ratio 2^{di} est: Quia id, quod in materia necessaria uni ex inferioribus convenit, convenit necessariò omnibus. Ex his conclude sequentia: 1. *Ex veritate subalternantis sequitur veritas subalternatæ, in quavis materia.* 2. *Ex falsitate subalternatæ sequitur falsitas subalternantis, in quavis materia.*

3. *Ex veritate subalternatæ non sequitur veritas subalternantis, in materia contingente.* 4. *Ex falsitate subalternantis non sequitur falsitas subalternatæ in materia contingente, sequitur autem in materia necessaria.* Hæc de oppositis propositionibus simplicibus satis dicta sunt; restat, ut de compositis in compendio agamus.

§. III.

Quænam circa oppositionem compositarum propositionum notanda.

518. *Dico 1.* Propositioni copulativæ contradicitur per disjunctivam. Sic huic propositioni: *Et Petrus orat, & Paulus orat;* ut contradicas, hanc disjunctivam: *Vel Petrus non orat, vel Paulus non orat;* ponas, necesse est. *Ratio est:* Quia si priori copulativæ, aliam opponeres copulativam, v. g. hanc: *Nec Petrus orat, nec Paulus orat;* ambæ possent esse falsæ; quandoquidem hæc ultima copulativa negans, plus negaret, quàm ad falsificandam priorem requiratur. Econtrà Propositioni disjunctivæ per copulativam contradicitur. E. g. Huic propositioni disjunctivæ: *Vel Petrus studet, vel Paulus studet;* contradicit hæc copulativa negans: *Nec Petrus studet, nec Paulus studet.* Si enim disjunctivæ opponeres disjunctivam hanc: *Vel Petrus non studet, vel Paulus non studet;* habebis subcontrarias, & consequenter ambæ simul poterunt esse veræ.

519. *Dico 2.* Propositioni propriè conditionali contradicitur, si præcisè connexio con-

ditio-

ditionis cum conditionato negetur, cujus negatio per $\tau\omicron$ non ideo aptissimè exprimitur. Sit hæc propositio: *Si Petrus audiet concionem, convertetur.* Huic optimè contradices sic: *Si Petrus audiet concionem, non ideo convertetur.* Hujus ratio est; quia in propositionibus conditionalibus hæc connexio principaliter affirmatur, vel negatur; igitur si in unâ propositione hujus connexionis affirmatio ponatur, in altera ejus negatio, dicitur tantùm, quantum præcisè sufficit ad alteram falsificandam. Si verò conditionalis sit disparata, tunc sufficiet ad contradictionem, si una præcisè neget coëxistentiam conditionati positâ conditione; quia hæc in disparatis conditionalibus principaliter significatur. Eodem modo per $\tau\omicron$ non ideo contradicitur propositioni causali. Ubi tamen observandum adhuc venit, quòd Propositio causalis singularis affirmans in materia contingente affirmet existentiam causæ, & causati pro tempore per copulam importato, & insuper connexionem causam inter, & causatum; hinc ejus contradictoria hæc omnia negare debet disjunctivè. v. g. Hæc propositio: *Clavius est excellens Mathematicus, quia diu multùmque in hoc studium incubuit;* habet hunc sensum: *Clavius est excellens Mathematicus, & diu multùmque in hoc studium incubuit, & ideo est excellens Mathematicus, quia diu multùmque in hoc studium incubuit.* Contradictoria huic est hæc: *Clavius non ideo est excellens Mathematicus, quia diu multùmque in hoc studium incubuit;* quæ disjunctivè sic exponi de-

bet: *Clavius vel non est excellens Mathematicus, vel non diu multumque in hoc studium incubuit; vel si est excellens Mathematicus, & diu multumque in hoc studium incubuit, non ideo est, quia incubuit &c.*

520. *Dico 3.* Propositioni modali optime contradicitur, si modus in una propositione affirmatus, de eodem dicto negetur in altera. v. g. huic propositioni: *Petrum currere est necesse.* Contradicit hæc: *Petrum currere non est necesse,* five, quod idem est: *Petrum non currere est possibile.* Ratio est: quia in propositione modalis ad modum, non ad dictum attenditur. Propositioni denique exponibili contradicitur, si in suas exponentes resolvatur, & hæc postmodum juxta regulas & copulativis, & disjunctivis contradicendi, superius assignatas ordinentur. Nam exponibiles quoad signum affirmativæ, copulativis æquivalent; negativæ autem disjunctivis. Ut ea, quæ hæctenus de contradictoriis dicta sunt, facilius memoriæ imprimas, & reliqua, quæ de contrariis, subcontrariis, ac subalternis in quavis materia assignandis dicenda adhuc forent, nullo veluti negotio condiscas, sequentes tabulas oculis tuis subjicio, quas si sæpius inspicias, & juxta ea, quæ de propositionibus, & oppositionibus hucusque diximus, examines, in hac materia cæteroque difficillima progressus facies non pœnitendos, à quibus intricatæ, & longiores regularum viæ Logicos solent detertere.

TABULA OPPOSITARUM.

ad fol. 488

I. *Singularium.*

Petrus est doctus.

Contrariae.

Petrus non potest esse doctus.

Subalternae.

Contra dictoriae.

Subalternae.

Petrus potest esse doctus.

Subcontrariae.

Petrus non est doctus.

II. *Simplicium cum casu obliquo.*

Omnis Studiosus cujuslibet Scholæ studet.

Nullus Studiosus ullius Scholæ studet.

Aliquis Studiosus alicujus Scholæ studet.

Aliquis Studiosus alicujus Scholæ non studet.

III. *Copulativarum, & Disjunctivarum.*

Et Titus ludit, & Plautus ludit.

Nec Titus ludit, nec Plautus laudit.

Vel Titus ludit, vel Plautus ludit.

Vel Titus non ludit, vel Plautus non ludit.

IV. *Conditionalium.*

Omne animal, si currit, movetur.

Nullum animal, si currit, movetur.

Aliquod animal, si currit, movetur.

Aliquod animal, si currit, non movetur.

V. *Causalium.*

Omnis ignis urit, quia habet calorem.

Nullus ignis urit, quia habet calorem.

Aliquis ignis urit, quia habet calorem.

Aliquis ignis non urit, quia habet calorem.

VI. *Modalium.*

Necesse est, animal currere.

Impossibile est, animal currere.

Possibile est, animal currere.

Possibile est animal non currere.

VII. *Modalium temporaneorum.*

Thales semper studet.

Thales nunquam studet.

Thales aliquando studet.

Thales aliquando non studet.

VIII. *Exponibilium.*

Tantum Petrus ambulat.

Tantum Petrus non ambulat.

Non tantum Petrus non ambulat.

Non tantum Petrus ambulat.

malium.

Nullum animal, si
currit, movetur.

Aliquod animal, si
currit, non movetur.

ilium.

Nullus ignis urit, quia
habet calorem.

Aliquis ignis non urit,
quia habet calorem.

alium.

Impossibile est, ani-
mal currere.

Possibile est animal
non currere.

mporanearum.

Thales nunquam
studet.

Thales aliquando
non studet.

ribilium.

Tantum Petrus
non ambulat.

Non tantum Petrus
ambulat.

§. IV.

An Propositionum contradictoriarum de futuro contingente una sit determinatè vera, & altera determinatè falsa?

521. *Nota.* Futurum illud dicitur, quod nunc non est, erit autem postea. Est terminus concretus, qui pro subjecto, vel recto dicit rem, quæ futura est; pro forma autem sive obliquo dicit futuritionem, nempe formalem, quæ est non existentia rei pro nunc, & existentia ejus pro tunc, i. e. pro tempore sequenti. Dixi *Formalem*; nam alia futuritio est causalis, quæ est ipsa causa productura effectum. Ex his advertes, quod futuritio duo dicat tempora, alterum præsens, in quo dicit negationem rei, alterum secuturum, in quo existentiam rei asserit. Observandum prætereà, quod futurum aliud sit *contingens*, quod ita futurum est, ut possit non esse futurum, ut *Pluvia*, vel *serenitas*. Aliud est *necessarium*, quod ita futurum est, ut non possit non esse futurum; sic futurus est *solis ortus*. Aliud est *Absolutum*, quod futurum est independenter ab aliqua conditione, ut *Sol oriturus*. Aliud est *Conditionatum*, quod dependenter ab aliqua conditione fiet, ut *conversio peccatoris, si conditioni devotè interesset*. Aliud est futurum *determinatum*, quod certò, & determinatè fiet, præscindendo, an fiat ex necessitate causæ, an ex libera causæ determinatione. Sic *determinatè futurum est peccatum Anti-Christi, etsi liberè*; quia se liberè determinabit ad peccatum. Denique benè notandum est, necessitatem aliam

esse antecedentem, aliam consequentem. *Antecedens*, sive *absoluta* est, quæ oritur à causa ex natura ad certum effectum determinata; sic ignis applicatus ad paleam, eam necessariò comburit. *Consequens*, sive *conditionata* est, quæ oritur ex hypothesi, vel suppositione liberæ determinationis. Sic Petrus, si se liberè ad peccandum determinaverit, necessariò peccat consequenter; alias peccaret, & non peccaret. His positis, & suppositis status questionis est hic: An ex propositionibus contradictoriis singularibus de futuro contingente (quales sunt v. g. *Petrus peccabit*, *Petrus non peccabit*) una sit hodie determinatè vera, & altera determinatè falsa quoad se, idque præscindendo à decreto Dei? h. e. Etiam si non cogitemus, Deum defacto jam statuisse, peccatum futurum permittere, aut non permittere, modò decretum illud divinum pro tempore per copulam importato concipiatur ponendum.

522. *Dico*. Una talium propositionum est hodie determinate vera, altera falsa, etiam præscindendo à Decreto Dei. Ita Conimbricenses, Suarez Gran. Amicus, & plurimi alii, tum Theologi, tum Philosophi. *Ratio est*: Quia propositionum contradicentium de futuro contingente, una est hodie objecto suo determinatè conformis, & altera determinatè difformis; ergo etiam una est hodie determinatè vera, & altera determinatè falsa; nam determinata conformitas est determinata veritas, & determinata difformitas est determinata falsitas. *Prob.*

Prob. ant. Illa propositio est hodie determinatè conformis objecto, cujus objectum ita existet determinatè, sicut propositio enuntiat; & illa propositio est hodie determinatè falsa; cujus objectum determinatè non existet, ut propositio enuntiat; sed unius propositionis objectum ita existet determinatè, ut ipsa enuntiat, & alterius objectum determinatè non existet, ut altera enuntiat; ergo. *Minor constat exinde;* quia idem objectum nequit simul esse futurum, & non esse futurum; sicut idem nequit simul esse, & non esse; fuisse, & non fuisse. Dixi: *Etiã præsciendo à decreto Dei.* Nam, etsi Petrus v. g. pro tempore futuro reipsa peccaturus sit, dependenter à decreto Dei permissivo, hoc tamen decretum non necessariò intelligitur pro illo tempore, in quo fit, & vera est propositio affirmans, Petrum peccaturum; & sicut propositio de præsentis aut præteritis vera aut falsa est, præsciendo à decreto Dei, ita & propositio de futuro. Adde, quod verificativum formale propositionis de futuro non sit *futuritas causalis* objecti, quæ decretum Dei includit; sed *Formalis futuritas*, quæ à Decreto Dei præscindit, & formaliter non est aliud, quàm non existentia rei pro nunc, & existentia rei pro tunc, sive pro tempore futuro, quo haberetur formaliter, licet res pro nunc non existens, existeret postea independenter ab omni decreto Dei.

523. *Obj. 1.* Objectum ejusmodi propositionum non est determinatè futurum, vel non futu-

492 DE CONTRADICT. DE FUTURO CONTING.
futurum ; ergo nec una illarum est determinatè vera , & altera falsa. *Prop. ant.* Objectum est adhuc indifferens ad futurum , vel non futurum ; ergo. *R. D. ult. Ant.* est indifferens pro tempore præfenti , quo profertur propositio , & ante determinationem causæ liberæ. C. Pro tempore futuro , pro quo profertur , & supposita determinatione causæ liberæ. N. Ut propositio sit determinatè vera , sufficit , si objectum sit determinatum pro tempore per copulam importato. *Si ais.* Objectum nondum habet , suū determinativum ; ergo necdum est determinatè futurum. *R. D. ant.* Nondum habet suū determinativum nunc pro nunc. C. nunc pro tunc , sive pro illo tempore , pro quo futurum esse enuntiatur. N. Determinativum duplex est ; aliud dicitur *causale* , & *extrinsecum* ; hoc est decretum Dei , aliæque causæ extrinsecæ. Aliud est *formale* , & *intrinsecum* ; hoc est ipsa sic se habentia rei. Neutrum horum nunc existit , existet autem postea , pro tempore , pro quo objectum futurum enuntiatur. *Si reponas* , Una harum propositionum nunc nequit esse conformis objecto , quia hoc nondum est ; ergo. *R. D. ant.* Nequit nunc esse conformis pro nunc. C. pro tunc. N.

524. *Obj. 2.* Ut paries sit albus , debet hodie dari id , per quod sit albus ; ergo etiam ut propositio sit vera , debet hodie dari id , per quod est vera. *R. 1.* Sequeretur , nec propositionem de præterito hodie esse veram. *R. 2.* *N. Conf. Disp. est :* Quia paries albus est per albedi-

bedinem sibi physicè unitam; ut autem unum
 alteri physicè uniatur, physicè existere debet.
 Econtra actus verus est per conformitatem cum
 objecto existente pro illo tempore, pro quo
 propositio enuntiat; cum igitur enuntiet pro
 futuro, illud pro futuro & non pro præsenti
 existere debet. *Inst. 1.* Quod actu nihil est,
 nequit actu verificare propositionem; sed ob-
 jectum futurum actu nihil est; ergo. *R. 1.* Er-
 go nec datur propositio vera de præterito. *R. 2.*
D. maj. nequit verificare propositionem de præ-
 senti. *C.* De futuro vel præterito, *subd.* quod
 nihil est & physicè, & objectivè. *C.* quod nihil
 est physicè, est tamen aliquid objectivè, &
 in repræsentatione. *N.* *Inst. 2.* Hæc propo-
 sitio: *Petrus cras peccabit*, potest fieri falsa, quia
 Petrus potest non peccare; ergo nequit esse
 determinatè vera. *R. D. ant.* Potest fieri falsa,
 in sensu composito liberæ determinationis Pe-
 tri. *N.* in sensu diviso. *C.* *Inst. 3.* Ergo Petrus
 necessariò peccabit. *R. D. necessitate antecedente*
liberam ejus determinationem. N. necessitate
consequente eam. C. *Inst. 4.* Ex supposito,
 quod hæc propositio: *Petrus peccabit*, jam sit
 determinatè vera; ergo jam ab æterno fuit
 determinatè vera, & Deus ab æterno Petrum
 peccaturum prævidit. *R. C.* Nam supposito,
 quod Petrus crastinâ die peccet, futuritio for-
 malis hujus peccati *logicè, denominativè, & in-*
esse veri jam ab æterno extitit, etsi non *in esse*
rei, & physicè. *Inst. 5.* Prius est Deum prævi-
 dere, quàm Petrum peccare. *R. D.* Prius est
 tem-

tempore, & *duratione*. C. Prius est *logicè*, & *causalitate*. N. Futuratio peccati est *logicè* & *ob-*
jectivè prior præscientiâ Dei; Nam ideò Deus
 præscit peccatum futurum, quia illud in se for-
 maliter futurum est; non verò ideo futurum
 est, quia Deus præscit. *Inst.* 6. Saltem præ-
 scientia Dei infert necessitatem peccati; quia est
 infallibilis, & non potest impediri. R. D. *af-*
fert. infert necessitatem antecedentem. N. Con-
 sequentem. C. Ad *causalem* R. Præscientia Dei
 est quidem infallibilis; proptereâ tamen non
 infert necessitatem antecedentem, quia suppo-
 nit liberam Petri determinationem ad pecca-
 tum, & quamvis Petrus, si Deus eum pecca-
 turum præviderit, facere non possit, ut non
 videat, potuisset tamen facere, ut non vidif-
 fer, si nimirum non liberè se ad peccatum de-
 terminâisset. Elegantissimè in hanc rem Vene-
 rabilis Beda *lib. qq. q. 13.* *Quid ergo, inquit,*
coëgit nos Deus, ut mali sibi videremur ab æterno?
absit: Nos coëgimus eum, ut nos malos videret.
 Ex his tamen non sequitur, Præscientiam Dei
 pendere à nobis *dependentiâ causalitatis physicæ*;
 sed pendet tantum à nobis *dependentiâ connexio-*
nis, quæ oritur ex infinita Dei fœcunditate, &
 perfectione, quam nihil futuri latere potest.

525. *Obj.* 3. Quidquid futurum est, per de-
 cretum Dei futurum est, quo decernat vel po-
 nere effectum, vel permittere; ergo præscin-
 dendo à decreto Dei res futura intelligi non po-
 rest. R. D. *ant.* Futurum est per decretum
 Dei vel *præsens*, vel *futurum*. C. necessariò per
 decre-

decretum *præsens*. N. Etiam si hodiè nondum sit, aut nondum concipiatur decretum de permittendo peccato crastino, illud tamen cràs fore supponitur, quod sufficit, ut peccatum futurum dicatur. Poteris etiam sic distinguere; quidquid est futurum, est futurum *causaliter* per decretum Dei C. est futurum *formaliter* per illud. N. *Inst.* 1. Determinatè futurum, est determinatum ad esse futuri, sed ad hoc requiritur decretum *præsens*; ergo. R. D. *Maj.* est determinatum *physicè*, & *in esse rei*. N. est determinatum *objectivè*, & *in esse veri*. C. h. e. Peccatum futurum nondum est *physicè* determinatum, per decretum actu existens, potest tamen nunc intelligi pro suo tempore determinatum esse. *Inst.* 2. & *quæris*: An res, quòd futuræ sint determinatè, hoc habeant à se, vel ab aliqua causa? R. quòd futuræ sint *causaliter*, hoc habent à causa; quòd autem futuræ sint *formaliter*, hoc habent à se ipsis; Nam licèt futuritio formalis sit ab alio in genere causæ efficientis, non tamen est ab alio in genere causæ formalis.

526. *Reflexio I.* Futuritio formalis rei *causaliter*, & *efficienter* habetur à decreto Dei, libertate creatâ aliisque concausis præsuppositis; *Formaliter* verò habetur à negatione existentia nunc, & existentia rei postea. II. Agens liberum est quidem indifferens adhuc vel illum effectum; propterea tamen non indiget influxu, vel qualitate prædeterminante *physicâ*, qualem adstruunt Thomistæ; sed quia est agens *indif-*

indifferens *active*, non *passive*, hinc se ipsum determinare potest, & se determinando simul determinat Deum ad præstandum suum concursum, quem Deus utpote causa universalis præstare tenetur, supposito decreto concurrenti cum causis secundis. III. Ut intelligatur, prævisionem divinam circa peccatum futurum non obstare libertati peccantis, concipienda sunt plura instantia rationis. In 1. concipitur libertas Petri v. g. indifferens ad peccandum, vel non peccandum. In 2. est libera determinatio Petri ad peccandum; in hoc signo propositio jam est determinatè vera. In 3. est visio Dei, quâ peccatum hoc videt: Unde colliges, visionem hanc esse solùm speculativam, quia non facit, vel determinat peccatum, sed illud præsupponit.

ARTICULUS IV.

De Conversione, & Æquipollentia.

§ 27. **D**ico 1. Comptonus *Disp.* 6. *Sect.* 4. cum communi conversionem sic definit: *Est unius propositionis ad alteram per extremorum transpositionem necessaria consequentia.* Sensum hujus definitionis uberiùs explicatum habes in *Prolegomenis* n. 26. Quotuplex autem sit conversio, & quæ ejus regulæ, dictum est *ibidem* n. 24. & 25. Præter ea autem, quæ locis citatis de conversione dixi, observandum adhuc est I. Quod leges conversionis non in simplicibus solùm propositionibus teneant, sed etiam in compositis, i. e. in *copulativis*, *disjunctivè*

Etivis, *conditionalibus*; Item in *exponibilibus*, quæ tamen antè in *exponentes* suas resolvendæ sunt, quàm convertantur. Item de modalibus.

II. *Modales* hoc speciale habent, quòd convertantur solùm ex parte *Dicti*, ita, ut *Modus* invariatus maneat. v. g. Hæc propositio: *Hominem esse animal est necesse*, quæ ratione modi universalis affirmativi universalis affirmativa est, convertitur per *accidens* sic: *Aliquod animal esse hominem est necesse*. Vel per *contrapositionem* sic: *Non animal esse non hominem est necesse*. III.

Quædam modales juxta regulas conversionum converti non possunt: Tales sunt illæ, quæ in *modo impossibili* non habent mutuam extremorum repugnantiam, aut quæ in *modo necessario*, necessariam connexionem mutuam non habent, vel quæ in *modo contingenti* non habent mutuam contingentiam. *Ratio est*: quia regulæ conversionis fundantur in *connexionem*, aut *non connexionem* mutuam extremorum; cùm ergo alterutra in præfatis propositionibus desideretur, juxta regulas conversionis converti nequeunt.

E. G. Propositio in *modo impossibili* est: *Omne animal esse hominem est impossibile*. Hæc, quia ratione *modi* est universalis negativa, convertenda esset *simpliciter*, vel *per accidens*; sed quocunque modo eam convertere nitaris, malè concludes, ex defectu mutuæ repugnantia. Propositio in *modo necessario* est: *Omnem Philosophum esse hominem est necesse*; hæc, utpote universalis affirmativa ratione *modi*, deberet converti posse *per accidens*, vel *per contrapositionem*;

sed neutro modo benè convertitur, ex defectu mutuae connexionis necessariae. Propositio in modo contingenti est: *Aliquem hominem esse Furis Peritum est contingens*, Hæc, licet particularis affirmativa sit, *simpliciter* tamen converti nequit, ob defectum mutuae contingentiae.

528. Dico 2. Æquipollentia, prout hinc sumitur, *Est duarum propositionum prius oppositarum æquivalentia, proveniens ex addita particula negativa, non.* Cùm enim hæc particula malignantis sit naturæ, destruit, & mutat omne id, quod afficit, & post se invenit, facitque ex affirmativa propositione negativam, particularem ex universali & vicissim. Consistit autem æquipollentiæ artificium in tribus regulis. *Prima* est: Si alteri contradictoriarum præfigatur ab initio particula negans, *non*, contradictoriæ erunt æquipollentes. V.g. Contradictoriæ sunt: *Omnis justus salvatur, Aliquis justus non salvatur*; huic secundæ propositioni præpone particulam, *non*, & dic: *Non aliquis justus non salvatur*, & sic erit æquipollens priori. *Secunda* est: Contrariæ propositiones, & subcontrariæ fiunt æquipollentes, si alterutrius subiecto particulam *non* postponas. E.g. Contrariæ sunt: *Nullus homo est doctus, Omnis homo est doctus*; si propositionem ultimam sic ponas: *Omnis homo non est doctus*, erit æquipollens priori. *Tertia* est: Subalternæ propositiones æquipollentes fiunt, si unius propositionis subiecto præ- & post-ponas particulam *non*. E.g. subalternæ sunt: *Omnis homo est justus, quidam*

dam homo est justus. Si propositionem ultimam sic ponas: *Non quidam homo non est justus*, erit æquipollens primæ. Enumeratae modò regulæ plurimùm inserviunt ad declarandas propositiones dubias, & obscuras; sed in subalternis negativis, ut rectè notat Haunoldus, æquipollentia plùs perplexitatis, quàm utilitatis habet, ob negationem triplicem, quæ ponenda est. Assignatas tres regulas Summulistæ hoc versu complectuntur:

Præ contradic, post contra, præ, postque subalter.

Ut autem scias, quæ signa sibi mutuò æquivalent, memoriæ gratiâ sequentes versus excogitarunt Summulistæ, in quibus illa, quæ inter duo puncta continentur, æquipollentia sunt.

Non omnis, quidam non: Omnis non, quasi nullus:

Non nullus, quidam: sed nullus non, valet omnis:

Non aliquis, nullus: Non quidam non, valet omnis:

Non alter, neuter: Non alter non, quoque uterque.

vel Non alter, neuter: neuter non, dicit uterque.

Regulæ hæctenùs assignatæ observandæ quoque sunt in propositionibus æquipollentibus compositis, exponibilibus & modalibus. Singularum exempla subjungo. Contradictoriæ sunt:

Et Petrus scribit, & Paulus ambulat. Vel Petrus non scribit, vel Paulus non ambulat. Si propositioni copulativæ præfigas particulam *non*,

dicásque: *Non & Petrus scribit, & Paulus ambulat*; erit æquipollens disjunctivæ. Contrariæ sunt: *Et Petrus, & Paulus studet; Nec Petrus, nec Paulus studet*; Si primæ propositionis

subjecto particulam *non* postponas sic : *Et Petrus, & Paulus non studet*, erit æquipollens secundæ. Subalternæ sunt : *Et Petrus, & Paulus studet*; vel *Petrus, vel Paulus studet*. Si dicas : *Non vel Petrus, vel Paulus non studet*; hæc posterior propositio æquivaleret priori copulativæ. In modalibus tamen specialiter notandum venit, quòd particula negans, *non*, censetur præponi, dum additur ipsi *Modo*; si verò præfigitur *dicto*, censetur postponi; si denique & *Modo*, & *Dicto* præfigatur, censetur & præ- & postponi. V. g. Contradictoriæ sunt : *Petrum currere est necesse*; *Petrum non currere est possibile*. Si dicas : *Petrum currere non est necesse*, tunc prima secundæ æquivaleret. Modales contrariæ sunt : *Petrum currere est necesse*; *Petrum currere est impossibile*. Si dicas : *Petrum non currere est necesse*, tunc prima erit æquipollens secundæ. Subalternæ sunt. *Petrum currere est necesse*; *Petrum currere est possibile*. Dic : *Petrum non currere, non est necesse*; & prima secundæ æquipolleret. Plura de his, qui desiderat, poterit consulere P. Haunoldum, & P. Arriagam.



DISPUTATIO III.

De Judicio, ut est secunda mentis operatio.

PRæter ea, quæ Judicio interno, ex dictis de propositionibus applicari possunt, restant adhuc tria de illo enucleatius discutienda

tienda. *Primum* est ; in quo formaliter judicium internum consistat ? *Alterum* est ; An sit actus voluntatis , ut quidam novatores contendunt , an verò actus intellectus ? *Tertium* est ; quinam sint fontes præcipui , ex quibus errores in judicia nostra profluunt , & quomodò obstruendi ?

ARTICULUS I.

De Judicii interni essentia?

529. **N**Ota. Judicium internum communiter definitur : *Actus internus immediatè enuntiativus de aliquo.* Fit autem judicium hoc modo : Primò proponitur per unam cognitionem v. g. *Homo* ; deinde per cognitionem aliam , sive eandem proponitur , v. g. *Animal* ; tum cognoscitur utriusque objecti convenientia , quæ ex operationibus , & effectibus similibus desumitur ; vel proponitur identitas objectiva hominem inter , & animal. Denique elicitur actus tertius , qui *Hominem* , prout uni apprehensioni substat , & *Animal* , prout substat alteri , inter se intentionaliter unit ; quæ unio intentionalis est judicium affirmativum , & dicitur *Annutus*. Si verò ejusmodi actus extrema à se dividat intentionaliter , & alterum ab altero removeat , erit judicium negativum , & dicitur *Abnutus*. His ita explicatis quæritur ; An judicium formaliter componatur ex pluribus apprehensionibus ? an verò sit actus indivisibilis , h. e. An sit simplex annutus , vel abnutus , consistens in sola copula , prout hæc affirmat , vel

negat connexionem prædicati cum subjecto; vel, ut alii loquuntur, an sit simplex qualitas?

530. *Dico.* Judicium est simplex qualitas, si-
ve formaliter consistit in simplici annutu, vel
abnutu. *Ratio est:* Quia judicium essentialiter
est affirmatio, aut negatio unius de alio, quæ,
consistens in speciali tendendi modo in objec-
tum, ex apprehensionibus componi nequit.
Apprehensiones enim simpliciter intuentur ob-
jectum absque affirmatione, aut negatione; er-
go, quantumcunque multiplicentur, judicium
esse nequeunt. *Confir. 1.* Sola copula impor-
tatur in recto in definitione judicii; prædicatum
autem & subjectum importantur in obliquo, ex-
primuntur enim per verba: *unius de aliquo.* ergo.
Confir. 2. Judicium affirmans unit prædicatum
cum subjecto, ergo formaliter non est ipsum
prædicatum, & subjectum.

531. *Obj. 1.* Judicium est compositio, si-
ve unio prædicati cum subjecto; ergo non est quid
simplex. *R. D. ant.* Est compositio *activa. C.*
passiva. N. i. e. Judicium non est, id, quod
unitur, sed est copula, quæ unit. *Inst. 1.* Teste
Aristotele, ubi datur veritas, vel falsitas, ibi datur
compositio conceptuum; sed in judicio datur ve-
ritas, vel falsitas; ergo. *R. D. maj.* Datur compo-
sitio conceptuum objectivorum, i. e. rerum re-
præsentatarum. *C.* Conceptuum formalium. *N.*
Inst. 2. Ubi est compositio activa, ibi etiam est pas-
siva; ergo. *R. D. ant.* Respectu diverforum. *C.*
respectu ejusdem *N.* *Inst. 3.* Unio realis inter cor-
pus, & animam, est ipsum corpus, & anima re-
spective

spectivè sumpta, ut dicitur in physica; ergo Unio intentionalis, sive judicium, erit apprehensio prædicati & subjecti, ceu extremorum respectivè sumptorum. *R. N. Conf. Disp. est:* Quia habito corpore, & anima respectivè sumptis, sive cum omnibus requisitis habetur unio, & compositum; Econtrà habito prædicato, & subjecto apprehensis tantum, etiam ut respectiva sunt, nondum habetur affirmatio, vel negatio. *Inst. 4.* Si judicium humanum sit quid simplex, ergo non differt ab Angelico, & divino; Consequens est falsum; ergo. *R. N. sequelam.* Differt adhuc satis à divino; hoc enim identificatum est ipsi Deo, nec præsupponit apprehensiones prævias, & inadæquatas; ab angelico autem differt, quòd illud non dependeat à sensibus, & rarò apprehensiones distinctas requirat; sicut judicium humanum, ob intellectus nostri imperfectionem.

532. *Obj. 2.* Judicium resolvitur in subjectum, & prædicatum; ergo ex iis componitur. *R. D. ant.* Judicium vocale, & objectivum. *C.* Mentale, & formale. *Subd.* Resolvitur in subjectum, & prædicatum mentale *formaliter, entitativè*, & tanquam in partes constituentes *N. Virtualiter, æquivalenter*, & tanquam in præsupposita, & connotata. *C. Si ais.* Subjectum, & prædicatum ingrediuntur definitionem judicii; ergo sunt partes ejus. *R. D. ant.* ingrediuntur ut partes. *N. ut connotata. C. Si reponas.* Subjectum, & prædicatum sunt materia judicii; ergo sunt partes ejus formales. *R. D. ant.* Sunt materia ex

qua judicii. N. circa quam scilicet judicium ver-
satur. C. Si urgeas. Judicium vocale constat tri-
bus vocibus; ergo & mentale tribus apprehen-
sionibus. R. T. ant. N. Conf. Disp. est: Quia
judicium vocale, saltem ut est propositio, ha-
bitis talibus vocibus habetur, cum sit oratio,
quæ est quantitas discreta. Econtra habitis etiam
mille apprehensionibus, nondum habetur an-
nutus, vel abnutus, cum apprehensiones mu-
tare nequeant essentiali suum tendendi mo-
dum. Dixi, Transseat: quia etiam judicium
vocale, si formaliter spectetur, est simplex an-
nutus, vel abnutus vocalis, sicut judicium men-
tale formaliter est annutus internus; id quod
non pauci tuentur.

533. Obj. 3. Si judicium est simplex actus,
ergo idem actus simplex posset repræsentare
duo dissimilia; Sed hoc non; ergo. R. D. se-
quelam. Ergo idem actus simplex virtualiter ta-
men multiplex posset &c. C. Idem actus &
realiter, & virtualiter simplex. N. Nimirum
judicium formaliter affirmat præcisè identitatem
prædicati cum subjecto, vel eam negat; sed
hoc faciendo repræsentat æquivalenter, sive ut
alii dicunt, indirectè prædicatum, & subjectum.
Inst. 1. Eadem imago picta, v. g. hominis albi,
nequit repræsentare simul hominem nigrum; er-
go nec idem actus simplex potest repræsentare
duo dissimilia. R. N. Conf. Disp. est: Quia ima-
go picta omni modo, ut supponitur simplex est;
igitur cum ad repræsentationem assignati ob-
jecti duplicis requirantur colores contrarii, qui se
fe

se ab eadem parte subjecti excludunt, hinc absque dubio in ejusmodi repræsentatione est repugnantia. Secus est in judicio æquivalenter saltem aut indirectè diversa repræsentante. Adde, quòd imago materialis, & picta sit imago mortua; Econtrà judicium est imago viva, cui absque dubio plùs tribuendum est. *Inst. 2.* Judicium habet multiplex objectum, ergo etiam est multiplex actus; quia objectum specificat actum. *R. D. ant.* Habet multiplex objectum repræsentationis. *C.* Verificationis *N.* Objectum verificans judicium est identitas, vel distinctio prædicatum inter, & subjectum, quæ est indivisibilis. Deinde si addita causalis aliquid solidè probaret, ergo si objectum est divinum, etiam actus deberet esse entitativè divinus, &c. *Inst. 3.* Judicium est actus vitalis; sed actus vitalis componitur ex actione, termino, & receptione; ergo. *R. D. min.* Actus vitalis ut vitalis est componitur &c. *T.* qui talis est. *N.* Dixi *Transseat*: An enim actus intentionalis vitalis physicè consistat in actione, & termino realiter distinctis in Animalistica examinandum venit. Cæterùm judicium hinc non sumitur ut vitalis actus est; sed ut est annutus, vel abnutus, de quo quæritur: An ex apprehensionibus componatur? *Inst. 4.* Discursus componitur ex tribus judiciis; ergo etiam judicium ex tribus apprehensionibus. *R. D. ant.* Discursus, ut tertia mentis operatio est, componitur &c. *N.* Ut artefactum logicum. *C.* eodem modo distinguendum consequens. Proinde concedi potest, judicium constare apprehensionibus, & annutu,

vel abnutu, si illud ut artefactum logicum, sive pro actibus logicis quomodocunque concurrentibus sumatur: Ipsæ tamen apprehensiones non sunt partes ipsius annutûs; sed sunt vel quasi causæ, vel objectum quo, quia iis tanquam terminis prærequisitis intellectus de eorum objectis fert sententiam. *Inst. 5.* Audiens successivè proferri hanc propositionem: *Audaces fortuna juvat,* format tres apprehensiones subjecti scilicet, prædicati, & copulæ; ergo judicium componitur ex pluribus. *R. N. Conf.* Vel enim audiens sistit in trina hac apprehensione, & tunc non formabit judicium. Vel affirmat, aut negat allatam propositionem, & tunc in illo annutu, vel abnutu consistit judicium. *Inst. 6.* Essentia hominis non consistit in solo corpore, nec in sola anima, nec in sola unione; ergo nec essentia judicii consistit in sola copula. *R. N. Conf. Disp. est:* Quia homo est compositum physicum constans ex materia, & forma; ergo hæc tanquam partes includit. Econtrà judicium est tantum annutus, vel abnutus; ergo non includit subjectum, & prædicatum, cum hæc non sint ipse annutus, vel abnutus; sed sint ea, quæ per annutum ununtur, & per abnutum separantur.

ARTICULUS II.

Inquiritur, utrum Judicium sit actus Intellectus, an voluntatis?

534. **N**ota. Communis est sapientissimorum virorum doctrina, Judicium ad intellectum, non ad voluntatem spectare; imò ex
Neo-

Neotericis non pauci eandem cum antiquioribus hac in re sententiam tenent. Contra hos Neotericorum quidam in arenam descendunt; non omnes tamen eundem pugnandi modum usurpant. Alii enim iudicium præcisè operationem mentis appellant, utrùm autem voluntatis, utrùm intellectus sit actus, non clarè decidunt. Alii verò iudicium non intellectus actum, sed voluntatis esse apertè tuentur, ut legere est apud Purchotium p. 2. *Metaph. Sect. 3. cap. 5. Prop. 1. & p. 2. Logicæ Sect. 1. cap. 1.* Ratio horum est; quia iudicium est posterius cognitione; ex quo porrò sic inferunt: ergo iudicium non est cognitio; ergo nec pertinet ad intellectum, qui est potentia cognoscitiva; sed ad voluntatem, quæ per iudicium aliquid approbat, vel improbat. Contra hos.

535. *Dico.* Iudicium non est actus voluntatis, sed intellectus. *Ratio est 1.* Actus voluntatis debet esse prosecutivus boni, & averfativus mali; sed iudicium non est prosecutivum boni, & averfativum mali; ergo non est actus voluntatis. *Major* desumpta est ex Purchotio, qui p. 2. *Metaph. Sect. 3. cap. 5.* voluntatem ita definit: *Est facultas, quæ bonum generatim ab intellectu exhibitum prosequitur, & malum averfatur.* *Minor ita probatur:* Hæc sunt iudicia: *Peccatum est fugiendum; Virtus est amplectenda;* Sed hæc non appetunt seu prosequuntur bonum; nec averfantur, aut fugiunt malum; ergo. *Minor inde constat,* quia stantibus etiam his iudiciis, non pauci nil magis averfantur & fugiunt, quàm virtutem, & econtrà nil magis appetunt, quàm pecca-

pecca-

peccatum. Accedit, quòd si quis præfata judi-
cia formando poneret actus voluntatis, ergo ha-
beret actus virtutis moralis meritorios; cum al-
ter esset actus voluntatis liber, & profecutivus
boni; alter verò esset actus liber averfativus mali;
quæ tamen falsissima esse exinde liquet; quòd
plures inveterati peccatores ejusmodi judicia
formantes ex malitia potiùs, quàm ex fragilitate
labantur.

Ratio est 2. Perceptio veri, ut tenet Parcho-
tius, spectat ad intellectum; ergo ad eundem
quoque pertinet affirmatio veri, & negatio falsi.
Sicut enim ipsum bonum est objectum volunta-
tis, ita ipsum verum, & non tantum modus ver-
fandi circa verum, est objectum intellectus. Ex
quo prætereà sequitur, quòd affirmatio veri non
fit profecutio boni, nec negatio falsi fit fuga mali;
aliàs affirmatio esset volitio, & negatio esset no-
litio; quod tamen falsum esse ex paulò ante dic-
tis satis probari putem. Plura ad confirmatio-
nem hujus theseos defumes ex fequentibus, in
quibus Adversariorum objectiones solvemus.

536. *Obj.* Judicium est posterius perceptione
ideæ, five cognitione; ergo non est cognitio, &
confequenter non est actus intellectus. *R. D. ant.*
Est posterius omni cognitione. *N. aliquâ. C.* Uti-
que judicium prævias habet apprehenfiones, five
perceptiones objectorum; ex quo autem non fe-
quitur, quòd ipsum judicium non fit cognitio à
nuda perceptione diftincta. *Inst. I.* Judicium affir-
mativum est approbatio, negativum est improba-
tio, fed hæc pertinent ad voluntatem; ergo. *R. N.*

min.

min. Ad voluntatem enim non tam *approbatio*, & *improbatio*, quàm *appetitus*, seu *prosecutio boni*, & *fuga* sive *aversio à malo* spectat. *R. 2. D. maj.* Judicium est *approbatio* sub *ratione veri*, & *improbatio* sub *ratione falsi*. *C.* sub *ratione boni*, vel *mali*. *N.* Judicium est *assensus vero*, vel *dissensus falso* præstiturus sub *ratione veri*, vel *falsi*; quòd certè ad *intellectum* spectat, sicut juxta ipsos *Adversarios* perceptio *veri* ad eundem pertinet. *Inst. 2.* *Voluntas* imperat *assensum* vel *dissensum*; ergo *judicium* est *actus voluntatis*. *R. N. Conf.* Sed sic deberes inferre: ergo *imperium assensus*, vel *judicii* est *actus voluntatis*, non autem ipsum *judicium*. Hoc enim est quidem *actus imperatus à voluntate*, sed *elicitus ab intellectu*: Nam *voluntas* non *inflexit se ipsam* in *partem affirmantem*, aut *negantem*, sed *inflexit intellectum*; sive *mens ut volens* *inflexit se ipsam ut intelligentem* ad *affirmationem*, vel *negationem* propter *convenientiam*, vel *disconvenientiam* *Objectorum*, seu *idearum*. *Inst. 3. Teste S. Augustino lib. de Prædestinatione Sanct.* *Fides*, quæ *perceptionem simul*, & *judicium* *complectitur*, est in *voluntate*; ergo. *R. 1.* Ergo etiam *perceptio veri* erit *actus voluntatis*, quod tamen est *contra Adversarios*. *R. 2. D. Ant.* *Fides* est in *voluntate* quoad *imperium*, & *piam affectionem*, à qua *fides divina libera* denominatur. *C.* *Fides* est in *voluntate*, i. e. *actus elicitus à voluntate*. *N.* *Responsio hæc desumpta est ex ipso S. Aug. qui lib. 1. de Prædest. Ss. cap. 2. hæc habet: Ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum assensione cogi-*

cogi-

cogitare . . . cogitat omnis, qui credit, & cogitando credit. Subsumo. Sed cogitatio est actus intellectus; quandoquidem voluntas præter volitiones & nolitiones alios actus non habet; ergo. Responsionem supra datam confirmat D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 1. ad 3. his verbis: Intellectus credentis determinatur ad unum non per rationem, sed per voluntatem; & ideò assensus hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod à voluntate determinatur ad unum. & q. 4. a. 1. in ☉. sic ait: Fides est habitus mentis . . . faciens intellectum assentive non apparentibus; per hoc autem fides ab omnibus aliis distinguitur, quòd ad intellectum pertinet. Ecce quàm manifestè & sanctissimi & doctissimi viri nobiscum sentiant!

ARTICULUS III.

De Fontibus, ex quibus errores in judicio nostra profluunt, & de remediis, quibus obstruendi.

537. **D**ico. Quatuor sunt causæ præcipuæ, quæ judicia nostra erronea reddunt. *Prima est: Defectuosa rerum perceptio; si nimirum aut obscuris, aut confusis, aut falsis omninò rerum ideis laboremus. Cùm enim iudicium ideas, & rerum perceptiones sequatur, hinc ex ideis malè formatis iudicium verum justumque nequit dimanare. Exemplis res fiet clarior. Mens nostra sæpè sensibus exterioribus decepta in se plura apprehendit ut unum, & vice versâ unum, ut plura: has apprehensiones si intellectus in iudicando sequatur, quid nî à veritate aberrat? Item subinde percipit unum pro altero, v. g.*
gem.

gemmam pro vitro; vel subinde apprehendit prædicatum quoddam, quasi solum soli rei conveniret, & ad has ideas format judicium, profectò non aliud, nisi falsum, & erroneum, sicut & ipsæ ideæ falsæ sunt, & erroneæ. Hunc errorum fontem ut obstruas, necesse est, ut antè sedulâ investigatione res distinctè ac clarè percipias, quàm ad judicandum progrediaris. Si autem adhibitâ etiam industriâ, & deliberatione ideas rei claras, & distinctas habere non valeas, talem ponas assensum, qui limites probabilitatis non excedat.

Secunda est: Præjudicium. Hoc nil aliud est, quàm *anticipatum judicium ex sensuum non benè applicatorum, aut malè dispositorum perceptionibus ortum, absque sufficienti examine prævio de rectitudine perceptionum, aut falsitate.* Præjudicia hæc mentem nostram sæpè eousque abripiunt, ut nullis rationibus etiam gravissimis, & evidentibus ab errore semel concepto abduci se patiatur; ut videre est in iis, qui in hæresi enutriuntur, aut doctrinæ in prima ætate haustæ pertinaciùs adhærent. Huic malo ut obsistas, præjudicia ejusmodi deponas necesse est, assuescâsque deinceps de nulla re ferre judicium, nisi maturo priùs examine eam ponderaveris. Pulchrè in hanc rem Gracianus in *Oraculo prudentiæ*, quod sub Tit. *L'Homme de Cour*, notum est, inquit: *Procedat sapiens consideratus multum . . . quatenus ex diffidentiâ suâ sciat judicare de rectitudine opinionis alienæ. Sistat se quandoque ex altera parte, & examinet motiva adversariorum; inde fiet, ut non condemnentur ab aliis, nec justificetur à se ipso, more cæco.*

Ter-

Tertia est: Præcipitatio mentis. Frequenter hæc judicia nostra erroris periculo exponit, quando nimirum ex levi, vel ex nullius momenti conjectura de alterius vita, fama, & moribus judicamus; vel quando in iis, quæ ad disciplinas naturales spectant, conjecturis potius, & verisimilitudinibus, quàm solidis rationibus ad judicandum movemur. Huic vitio sequens Antidotum præscribit Verinus canens:

*Nil temerè incipias, sed primùm consule; cepti
Nam multos serò pænituissè liquet.*

Præcipitationem mentis etiam plurimum juvant vehementes animi passiones; has proinde frænare debet, quisquis in judicando à vero deflectere non cupit. Nam *Quisquis amat vanam, vanam putat esse Dianam.* Et ut Cato inquit: *Impedit in animum, possit ne cernere verum.*

Quarta est: Vocum ambiguitas, sive æquivocatio; quæ quot vitia in judicia nostra invehat, vix ullum latere potest. Sic hoc Enthymemate: *Mundus non mundat, sed mundos inquinat: ergo qui manet in mundo, quomodo mundus erit?* induci quis facile posset, ad judicandum, omnes homines in mundo, etiam illos qui secundum leges mundi non vivunt, absque peccato vivere non posse. Ad evitandum in judiciis vitium ex æquivocatione proveniens, multum conducet, ad omnes circumstantias benè attendere, antecedentia & consequentia observare, loquentis mentem explorare; vel certè mentem suam non absolutè, sed conditionatè, & sub distinctione aperire.

TRAC